











1952/A Scales 25/.

Duni.

C.4.P./

A XXIX

2775

6 **Dunas** (T., *and others*) Thaddæi Duni Locarnensis Media et Francisci Cigalini, Joannisque Pauli Turriani...item Hieronymi Cardani disputationum per epistolas liber unus...cui accessit De Hermitroeo siue de febre semitertiana libellus, autore eodem Thaddæs Duno. Zurich, Andreas et Jacobus Gesner, 1555

8vo. Calf, binding broken. Folding diagram showing the course of a semi-tertian fever. A very rare and interesting book, being a series of letters between four celebrated 16th century doctors. The first nine deal with the cure of pleurisy and the last five with gout and arthritis.

Black

Hen: Femn.

Mors Christi vita hominu

THADDAEI DVNI LOCARNENSIS MEDICI, ET FRANCISCI CIGALINI, IOANNISQUE PAULI TURRIANI MEDICORUM NOVOCOMENSIUM CLARISSIMORUM

THADDAEI DVNI LOCARNENSIS MEDICI, ET FRANCISCI CIgalini, Ioannisq́ Pauli Turriani medicorum Nouocomensium clarissimorum, item Hieronymi Cardani medici & Philosophi celeberrimi, disputationum per epistolas liber unus per quàm utilis.

Cuius Argumentum sexta pagella dabit.

CVI ACCESSIT,

De Hemitritæo, siue, de febre semitertiana libellus, autore eodem Thaddæo Duno.

CVM INDICE.

TIGVRI PER ANDREAM ET IAcobum Gesneros fratres.
1555

Liber Edwardi Lapworthi ex dono charissimi patris sui. 1601

MEDICARVM RERŨ studiosis candidis, Thaddæus Dunus Medicus, artis totius perfectam notitiam precatur.



NNIS ELAPSIS IN valle Aſsinia medicinam mihi exercenti, (lectores chariſsimi) contigit, vt ferè fit, ſæpenumero cum alijs medicis colloquij gratia vocatis ad ægros accedere, vbi varijs de rebus & dogmatis medicis diſſerere oretenus vel ſcriptis multoties neceſſe fuit, præcipuè cum aliquando inciderim in circunforaneos, ſiue empiricos, medicinæ omnino ignaros, arrogantes alioqui homines, et multum dicaces (qualis fuit is, de quo in epiſtolis noſtris) quos miſſos facere conſultius plerunque eſt, quàm diſputatione laceſſere. Incidi etiam non rarò in præſtantiſsimos medicos, ex quorum numero ſunt ij, qui in hoc libro humaniſsimè doctiſsimeque de reb. apprimè vti-

libus mecum disserunt, Hieronymus Cardanus Mediolanensis scilicet, Franciscus Cigalinus, & Ioannes Paulus Turrianus Nouocomenses, quibuscum calamo non lingua negotium totum tractaui. Quemadmodum vero cum imperitis medicis digladiari non solū inutile est (neque enim nos docere illi quicquam possunt, neque à nobis discere propter arrogantiam volunt) sed etiam turpe & indecorum: ita cum peritis de rebus sanitati cō modis agere, & vtile supra modum est, & honestum. Hanc ob rem hasce epistolas nostras & medicorum supradictorum, vtpote multo vsui futuras (licet non sint scriptæ ad hoc vt æderentur) in communem studiosorum vtilitatem inuulgamus. Nec vero putetis me ideo has emittere, quòd censeā (censeo tamen) me melius sentire, meliusq́; ægrotis consulere, & ita propriam laudem quærere: fieri enim fortasse potest, vt peius tum sentiam, tum consultem. Sunt verò aliæ rationes huius facti. Primū quidem quicquid hoc est auctarij in re medica, siue ex meis si

ue

ue illorum literis quæ quidē doctißimæ sunt, siue ex vtrorūq; consurgat, uobis cōmunicari percupio, quòd sciā talia haud ingrata fore. Deinde si quid errorū fuerit siue in meis, siue in illorū literis, hac via deprehendetur, nā aut illi mihi rescribēt, aut alius quispiā de toto opere iudiciūcū ratione feret: itaque res tandem certißima erit, omnísue controuersiæ expers. Vos interea hæc boni consulite, donec multo plura, iucundiora, & vtiliora emittam. Sunt etenim mihi alia scripta iam ante annos aliquot absoluta: verum antehac propter multas, variasq; persequutiones & locorum mutationes quas ob Euangelij confeßionem sustinui, non fuit otium castigandi ea quæ parū arridebant. Nunc cū Dei bonitate & misericordia, Illustrißimorūq; Dominorum nostrorum Tigurinorum clementia, humanitate, pietate, & charitate in hanc inclytam vrbem non ego solus, sed omnes mei Locarnenses fratres simus recepti, eaq; donati, & innumeris beneficijs (proh immēsam liberalitatem) affecti: vbi quietè & pa

cificè viuere, studijsque commodißimè incumbere licet, dabo operam vt quæ castigan da sunt, castigentur, deinde in communem vsum inuulgentur. Bene valete, ex inclyta vrbe Tigurinorum IIII. Nonas Octobris.

M. D. LV.

ARGVMENTVM EPISTOLARVM.

PRiores epistolæ nouem copiosißimè agunt de omnibus facultatibus oxymelitis: & an in pleuritide dandum, item omnibus ne pleuriticis dandũ, an quibusdam tantùm. Continent præterea multa alia ad curationem pleuritidis conducentia. Deinde subsequitur breuis appendix de Diacodio & incrassantibus medicamentis, vtrum à Græcis in pleuritide ex hibeantur. Posteriores verò quæ quinq; sunt, curã tra dunt cuiusdam mulieris chiragra làborantis ob defectum mensium, in quibus diffusè tractatur de Arthritide & nominibus articularium morborũ. Item incipienda ne sit cura illius mulieris à prouocatione mensiũ, an à purgatione peccantiũ humorũ. & quæ purgantia medicamenta sint aptiora quoties purgan dũ fuerit. vbi de Agarico violaceis pastillis, turbith, & alijs quibusdam disputatur. Adhæc etiam agitur de Dictamno Cretensi, an apportetur ad nos.

THAD-

THADDAEVS DVNVS MEDICVS, EXCELlentißimo D. Francisco Cigalino Nouocomensi medico, S. D.

Epist. I.



CVM MIHI ELAPSIS diebus ægroti cuiusdam pleuritide laborãtis cura esset cõmissa, doctor clarissime, uocatus est medicus alter, ut communi studio, cõsilio, & industria facilius opportuna remedia pro salute laborantis inueniremus. Qui medicus quum ad ęgrotũ meum uenisset, & ex ipso atque ministris omnia quæ euenerant utcunque cognouisset, ad me conuersus expectabat ut omnia ordine recenserem quæ circa ægrotũ peracta erant. Ego illico omnia narraui, & inter cætera dixi, me oxymel in serapio propinasse. Quod cum in-

tellexiſſet, cœpit improbare meum morem in exhibẽdo oxymelite pleuriticis:id tamen auſus eſt facere ſine ulla ratione aut autoritate. Ego protuli Hippocratẽ & Galenũ, quorũ autoritates ipſe audire noluit, ſed dixit ſe libenter ſubiturum iudicium tuum hac in re: Vtrum ſcilicet in pleuritide conueniat oxymel, an ſecus. Ego uerò nihil reſpui, præcipuè quòd intelligam te in Græca atq; adeo uera puraq; Medicina conſummatiſsimum, hominemq; rogaui ut rationes ſuas literis mandaret, quod me quoq; facturũ pollicebar, & ad te miſſurum. Verum pœnituit eum poſtmodum talia dixiſſe, & ne uerbum quidem amplius fecit. Sed ego qui cupio oſtendere illi quàm à uera medendi methodo aberret, uolui ad te rationes meas mittere, ut ijs cognitis iudices, rectè ne exhibeam oxymel pleuriticis, ne ſecus.

Quapropter te etiam atque etiam oro atq; obſecro, primũ quidem pro

pter

pter ueritatis amorem, quo nihil antiquius nobis esse debet. Deinde propter incomparabilem humanitatem qua te prẹditum esse sæpius audiui ab hominibus fide dignis. Postremo propter amicitiam qua mihi iunctus est filius tuus D. Zaninus uir sanè doctus. Propter hẹc inquam, omnia oro ut tribus uerbis significare digneris, quæ sit sententia tua super hac re.

Hisce autem autoritatib. maximis & rationibus, ego nihil timeo exhibere oxymel acutè febrientibus, & præcipuè pleuriticis, quod illi medico uidetur perquàm absurdum, non aliam ob causam, quàm quia barbarorum medicorum sterquilinia mauult fodere, quàm clarissimorum doctorũ dogmata ediscere, & iuxta ea mederi. Diuus itaq; Hippocrates salubrium prẹceptorũ inuentor primus, naturẹ scrutator profundissimus, morborum debellator generosissimus, libro tertio de ratione uictus acutorum morbo-

Tex. 24. rũ, capite de oxymelite ſcribit: Oxymeli uocatum potum, ſæpius quidẽ in his morbis (acutis ſcilicet) cómoditatem habere reperies: nam ſputum educit, & facilem reddit ſpirationem. Quam ſententiam cófirmat Galenus in commento.

Præterea ipſe Galenus libro primo
Com. 44. de rat. uict. acut. morb. ait, Chondrus ergo pleuritico cibus tantùm exiſtit, oxymeli uerò medicamentum. Ecce clariſsimas principum medicinæ autoritates, quæ morem meum in exhibendo oxymelite per quàm ſtrenuè corroborant. Paulò deinde inferius idem Galenus ſcribit: Cum igitur uirtus ad morbi uſq; iudicationem ſine ptiſanæ ſorbitione ſuffecerit, oxymeli & aqua mulſa ſatis ſunt: oxymeli quidem uim medicamenti ſolam habens, aqua mulſa uerò, cibi pauci &
Com. 31. imbecilli. Item lib. 1. de rat. uict. acut. ſcribit: De mediocriter acri oxymelite adhuc diſſerens hæc protulit. Nam

in

in pulmonis thoracisq́; affectionibus, plurimo est usui, maximeq́; insignem habet patrocinatum ob metricam illam aquæ acetiq́; & mellis permistionem.

Quoniã autem in pleuritide medicus studere debet ut molestissima illa symptomata (difficultas spirãdi, tussis, sitis ingens, deinde & obstructio quæ febrem fouet) tollantur, omnino exhibendum est oxymel, quod omnia ea prestat, ut infra manifestum erit.

Quã igitur ob causam abhorreat in hisce morbis ab oxymelite empiricus ille, non uideo. Sed nũ fortasse quia oxymel mel recipit quod Galen. lib. sim. med. 4. & alibi teste, febricitãtib. datum in bilem conuertitur, & ita febrẽ auget? Atqui id nullo modo efficere potest oxymeli ꝓpter admistionẽ aceti, quod cum frigidũ sit bili aduersatur, & sua frigiditate mellis caliditatẽ temperat ita ut nocere possit Cap. 15.

nihil, prodeſſe autem plurimum: bilioſum enim quod in melle eſt reſtinguit, unde febrem non auget. Scribit
Com. 30. uerò hæc Galenus lib. 3. de rat. uict. acutorum ad hunc modum. Nempe quod omnia quibus iuuari ægritudines natæ ſunt, habet, id eorum quæ nocere ualent ob uim temperaturæ nihil habet. Nam mulſæ tantum aceti eſt admiſtũ, ut quod in ipſa bilioſum ſit, queat ſufficienter κολάσαι, id eſt, καθελεῖν, ταπεινῶσαι, id eſt, caſtigare, inuertere & ſupprimere. Nẽpe in quarto de ſimp. med. uiribus dulcem ſuccum acri maximè potentia aduerſari demonſtrauimus. Cum itaq; mulſæ facultas cætera quidem omnia quibus morbi huiuſmodi opus habent, contineat, in uno autem duntaxat contraria, quòd ſcilicet ſupercalfacta ipſa bileſcat, migrationem ſanè huiuſmodi permiſtio aceti cohibens, opti-
Cap. 4. mum efficit medicamentũ. Libro uerò meth. med. 8. ait: Oxymeli uerò ſo-

lum

lum nec febres accẽdit, & ſtrenuè deterget, ſic ut ea quę glutinoſa craſſaq́; ſunt diſſoluat, & meatus obſtructos liberet. Deus bone quot quantisq́; uiribus præditum eſt hoc medicamentum, quod tamen intelligere nolunt ſtulti quidam medici barbaris addicti. Ergo iure (ut ad rem ueniam) oxymel damnare non poteſt, propterea quod recipiat mel. Sed nũquid damnabit quia recipit acetum, quod adſtringit, & adſtringentia in tali ægritudine prorſus ſunt fugienda? Sanè hæc ratio imperitis medicis perſuadere poſſet abſtinendum eſſe ab oxymelite in pleuritide (unde etiam multi imperitiores eã ob cauſam ab oxymelite temperant) uerum ſi nos rectè rem conſideremus ratio prorſus eſt inualida. Nam admiſtum eſt mel, quod laxat, & ideo oxymel adſtringere non poteſt. Tam bellè enim alterum alterius uitia corrigit, ut dictu mirum ſit. Mel ſiquidem emendat uitia aceti, a-

cetum autem mellis. quare consurgit medicamentum saluberrimum ex utriusq; congrua permistione. Vt autẽ doceamus oxymel nullo modo adstringere, repetenda sunt ea quæ supra ex Hippocrate transcripsimus, sunt autem hæc: Nam sputum educit, & facilem reddit spirationem. Hæc sententia docet oxymel nõ modo nõ adstringere, sed etiam potenter laxare, quia & educit sputum, & facilem reddit spirationem. Itaque quocunq; se uertat empiricus ille (uoco empiricum, quia sine ratione & loquitur, & medetur) deprehendet clarissimè nihil esse pleuritico salubrius, quàm oxymel. Sitim etiam sedat, ut ait Hippo-
Tex. 30. crates lib. 3. de rat. uict. acut. Quod autem (inquit) parum acre est, os fauces'q; humectat, sputũ educit, & sitim sedat, &c.

Sed mirum non est quòd à tam nobili medicamento abhorreat, quum mihi eas Hippocratis Galeniq; autoritates

ritates

ritates sibi ostendenti, dixerit, me maximo in errore esse, quòd sequar Hippocratem & Galenum, quum sequi oporteat Sauonarolã, eumq́ præferre Hippocrati ac Galeno. O impiam uocem, ô temerariam sententiã. Quis tam crassi ingenij erìt, qui relictis optimis autoribus medicinam ex lutosis libris discere uelit? proh facinus indignum. Quis unquam ex medico talem uocem expectasset? Sed ualeat mendicus ille cũ suo Sauonarola. Tu pro tua humanitate, acri iudicio, & ingenij candore, iudica (quæso) bona fide, quis nostrum melius sentiat. Seruet te incolumen diutissimè pater ille cœlestis bonorum omnium dator liberalissimus. Assij xv. Calendas Aprilis. 1551.

FRANCISCVS CIGALINVS *Medicus Comensis Præcellenti medico, D. Thaddæo Duno, amico optimo.*

Epist. II.

SImulatq; tuæ ad me perlatæ fuerũt literæ, tibi statim per occupationes respondere non licuit. Nunc ut tibi morem geram, quid in ea disceptatione sentiam, inter te & alium medicum, cuius nomen ut clam me non esset non curasti: conueniat nec ne in pleuritide oxymeli, paucis aperiam. Duos sanè inter Græcos magni nominis scriptores, Paulum & Aetium nullam prorsus in morbi lateralis curatione de oxymelite fecisse mentionem inuenio, ut proinde non posit non plurimum oboriri suspitionis, hoc ab his medicamentum de industria prætermissum. Contrà Hippocrates & Galenus locis abs te citatis, hoc remedium haudquaquam prætererunt.

terierunt. Siquidem Hippocrates tertio de ratione uict⁹ in acutis, quũ ait: τὸ δ' ὀξύμελι καλεόμενον ποτὸν, πολλάκις μὲν εὔχρηστον ἐν ταύτῃσι τῇσι νούσοισιν εὑρήσεις ἐόν: καὶ γὰρ πτυέλου ἀναγωγόν ἐστι, καὶ εὔπνοον, cum alios acutos, tum pleuritidem maximè in qua ſputi & ſpirationis ratio habetur, intelligit. Omitto loca in quibus Galenus ad hunc affectum eius medicamenti meminit: etenim ſi quæ ab illuſtrib. medicinę ſcriptoribus tradũtur, animaduertamus, conuenit quidem oxymeli in pleuritide, ſed non omni, ita ſanè, ut duntaxat tunc ad eam facere poſsit, quãdo in parte inflammationis craſsi ac lenti humores collecti fuerint, nã & Galenus enarrans Hippocratis uerba tertio de ratione uictus in acutis, quum morbi cauſæ rationem habet, oxymeli duntaxat commendat, quum .s. diſſecare, ac extenuare lentos craſſosq́ humores opus eſt. Fuerit igitur hæc totius quæſtionis peroratio: Oxyme Tex. 24.

B

li, ſi morbi cauſa cõſideretur, nunquã exhibendum eſſe, niſi craſsi ac uiſcidi humores fuerint: quocirca Alexãder Trallianus rem acuratiſsimè conſiderans totum negotium confeciſſe uidẽt, qui ſi pituita fuerit tenax, & difficilis reiectatu, propinandum eſſe oxymel ſcribit. Quippe oxymel ad dolorẽ maxime illũ lateris conueniret, cui Hippocrates non fotus humidos ſed ſiccos admouet, ut quẽ craſsiores ac lẽtiores humores efficiũt: à quib. fortè quũ hunc morbũ Paulus & Aetius effici nõ exiſtimarẽt, nec fomẽta ſicca adhibent, nec oxymeli exhibent. Ob id Mauritani Auicẽna, Io. Serapionis alijq́ꝫ, tametſi barbari ſint, uiri tamen alioqui docti & minime paruipendẽdi, raro ab his humorib. pleuritidem contingere arbitrantes, ut qui adduci non poſſunt, ut exiſtiment craſſos lẽtóſque humores in membranam coſtas ſubcingentẽ penetrare poſſe, nec ſiccorum fomentorum, nec oxymeli

tis meminêre. Verùm dicat quiſpiam Auicenna & Io. Meſuæus pleuriticis oxymeli propinant: dictum iã eſt oxymeli ſi cauſam adnimaduertamus, dũtaxat exhiberi quum craſsi ac uiſcidi fuerint humores. Auicenna conſiderato potius ſymptomate, dandũ illud eſſe iubet, quum ait, quũ tuſsis, uel potius, ut caſtigatior litera habet, ſitis, fuerit inobediens permiſce eã. s. frigidam aquam cum oxymelle, ut frãgat fortitudinem aquæ, & quæ ſequũtur. Ecce Auiceña ob ſitim illud exhibet. nam & Hippocrates ἄδιψον uocat. Io. Meſuæus rectè quidem quũ ſanguis pituitoſus pleuritidem effecerit, conſiderata cauſa oxymel exhibet. Verùm prorſus repudiandus uidetᷣ, quũ ſi humores fuerint blioſi oxymel ꝓpinãdũ ſcribit, quod ex aqua, & aceto, melle, atq; ſaccharo conficit. Habes his, uir acutiſsime, q̃d hac in re tũ Grę cos, tum Mauritanos, quos ego tametſi longè diſtent à Græcis, neutiquã

aſpernor,fuiſſe arbitratos exiſtimem. Vale. Comi tertio decimo Calend. Aprilis, M. D. LI.

THADDAEVS DVNVS Medicus Thomæ Zoio, Herbæ medicinam factitanti, S. D.

Epiſt. III.

QVONIAM parum prudenter, parumq́ doctè,imo quoniam temerè oxymelitis uſum in pleuritide damnaſti,accipe eius iudicis, quē tu elegiſti,ſententiam cōtra te latam. Illius enim epiſtolæ ſumma hæc eſt. Oxymeli in pleuritide cōſiderata cauſa morbi, conuenit quoties in particula inflāmatione correpta craſsi lentiq́ humores fuerīt,ſiue quoties pleuritis à craſsis humoribus gignitur.Cōſideratis autem ſymptomatibus, difficultate,inquam,reſpirandi,ſiti,& huiuſmodi ſemper conuenit, quoniam in

in omni pleuritide ea cernuntur ſym ptomata. Hæc ex epiſtola D. Cigalini colliguntur, in qua tamẽ ego aliquot locos annotaui, de quibus adhuc certior cupio fieri. Eam tu bis terq́; lege, & ſingula quæq́; rumina, deinde ſi placet mihi reſcribe, & intelliges me nõ eſſe tui ſimilẽ, qui ſine ratione loqueris ac mederis empiricorum more. Cum intellexeris totam rem de oxymelite, intelliges etiã de ſirupo ex glycyrrhiza, quia turpiſsimè erras, credens incipiendũ eſſe ab eo ſirupo qui ex hyſſopo fit, & progrediendum ad eum qui fit ex glycyrrhiza, quũ oporteat ab hoc ad illum progredi, inde ad ſirupum de praſio, niſi neceſsitas cogat ab his auſpicari, & in his perſiſtere. Vale. Aſsij, V. Calendas Aprilis.

THADDAEVS DVNVS ME-
dicus celeberrimo viro D. Fräcisco Ci
galino Nouocomensi: medico,
S. D.

Epist. IIII.

GRATISSIMVM mihi fuit (uir ornatissime) q̄ dignat⁹ sis ꝑ tua humanitate petitioni meę satisfacere, unde gratias tibi ago habeoq̨ im̄ortales. Tuæ autem epistolæ exemplar ad empiricum illum misi, ut errorem suū cognosceret, & ueritatem amplecteret. Sed bonus ille uir rē nequaquā intellexit, quia ne literas quidē nouit. Satis uerò illi fuit contumelijs me afficere, ubi omni ratione se destitutū reperit. Sed ego improborū hominū petulantiā ne pili quidē facere solitus sum, præcipuè quòd bonis omnibus noti sunt mores mei, uita, atq̨ literę. Nō solum aūt petulantissimè in me scripsit, sed & in Hippocratem magnum, magnumq̨ Galenū. Verùm missum face

re

re uolo arrogãtem illum empiricum. tempus enim alia in re utiliori collocandum eſt. Quoniam aũt deſiderabas ſcire nomen illius, nunc intelliges quis ſit. Thomas ille eſt, cognomento Zoius, qui Herbæ medicinam profitebatur. In epiſtola mea de induſtria nomen illius ſubticui, ut deinde cognoſceret te non maleuolentia, ſed ueritatis amore ſententiam cõtra ſe tuliſſe.

Scribo aũt ad te denuo, diſcẽdi gratia potius, q̃ certãdi, quia in epiſtola tua aliquot locos deprehẽdi, q me ſuſpẽſum tenẽt die noctuq́ꝫ. Quorũ primus præcipuusq́ꝫ ille eſt, ubi ſcribis: Omitto loca in quib. Galen. ad hunc affectum eius medicamenti meminit: etenim ſi quæ ab illuſtribus medicinę ſcriptorib. tradunt animaduertamus, cõuenit quidẽ oxymeli in pleuritide, ſed nõ omni, ita ſanè, ut duntaxat tũc ad eã facere poſsit, quãdo in parte inflammationis craſsi ac lenti humores collecti fuerint. Hoc unum agis ut

uideo,in tota ferè epiſtola,ut oxyme-
li excludas in curatione pleuritidis
quæ ab humoribus bilioſis orta eſt.&
ratio tua hæc eſt,Oxymelite tum dun
taxat utendum eſt,quum diſſecare &
extenuare humores opus eſt.Soli au-
tem humores pituitoſi medicaměto
incidente,& attenuante indigent: Igi
tur ſola ea pleuritis quæ à pituitoſis
humoribus originem ducit, oxymeli
te indiget, quod medicamentum eſt
incidendi & attenuãdi facultate prę-
ditũ.Huic rationi ego ita reſpondeo:
Si oxymeli nullam aliam facultatẽ ha
beret,quàm eã de qua dictum eſt,uti-
que in ea ferè ſola pleuritide conueni
ret, quæ fit ab humoribus pituitoſis.
Sed quia habet alias etiam facultates,
ideo maior ꝓpoſitio falſa eſt.Suppo-
natur igitur pleuritis ab humoribus
bilioſis.In hac pleuritide hæc aderũt
ſymptomata:tuſsis, difficultas reſpi-
randi,cõſtrictio pectoris,& ſitis: hæc
quidẽ ſymptomata omnia curare po
terit

terit oxymel, tametsi quantũ ad causam attinet, haud ita multum conferre posit: confert tamen & ipsi causæ, ut infrà patebit. Sed supponamus etiam, quòd quantum ad causam nihil iuuare posit, quia tamen nihil obest, (nam neq; biliosos humores auget, neq; febrem accendit, neque meatus obstruit) & quia omnia symptomata curat, iccirco prætereundum non est in hoc casu. Arguo præterea hunc in modum. Galenus pleuriticis oxymel propinat, nihil pręfatus de causa morbi, siue specie humoris morbum facientis, igitur omnibus pleuriticis exhiberi potest. Nos enim non latet quàm diligens fuerit ubiq; Galenus in distinguendis morbis, & eorũ causis, & alijs rebus omnibus. Et quum in libris de uictu acutorum nihil meminerit de specie humoris dolorem lateralem efficientis, credendum est ipsum omnibus pleuriticis indifferenter exhibuisse oxymel, excipio melã-

cholicos, de quibus non disputamus. Sed contra hoc tu ita scribis: Nam & Galenus enarrans Hippocratis uerba tertio de ratione uictus in acutis, quũ morbi causæ rationem habet, oxymeli duntaxat commendat, quum scilicet dissecare, ac extenuare lẽtos crassosq; humores opus est. Ego non semel, sed pluries totum illum librum reuolui, & tamen quod tu scribis nũquam inueni: Galenum uidelicet cõsiderata causa morbi tum duntaxat exhibere oxymel, quum dissecare & extenuare uolumus lentos crassosq;
Com. 29. humores. Inuenio quidem hunc locum: Si ęger ob sputorum tum crassitiem, tũ uiscositatem nihil expuerit, uirtúsque ualida fuerit, oxymeli dari iubet ualde acre, paulatim, & ἀκροχλίαρον quod est ἄκρως χλιαρόν, id est, per quàm tepidum. Sed nihil planè pro te facit hic locus: nam nihil meminit humorum biliosorum, ut uerum sit, quòd duntaxat exhibeat cum humores

res fuerint pituitosi. De pituitosis enim solummodo agit, ijsq; multum & crassis & uiscosis. Deinde hoc loci non loquitur simpliciter de oxymelite, sed de ualde acri oxymelite. quanto enim crassior, tenacior, & reiectatu difficilior fuerit materia, tanto acrius oxymeli esse conuenit. Atqui si materia fuerit biliosa, satis erit si oxymeli moderatum fuerit. quare iudicio meo hinc nihil pro te colligere potes.

Item, Galenus quum dicit oxymeli conuenire pleuritico, sine mentione speciei humoris, sanè eam potissimum intelligit pleuritidem quæ frequentior est: frequentior autem est ea, quæ fit ab humoribus biliosis. igitur in hac unicè ipsum laudat. Possem & alias non paucas rationes adferre, quod oxymeli conueniat pleuritidi ab humoribus biliosis, sed superuacaneum esse existimo. Fuerit igitur hæc mea conclusio: oxymeli

Lib. 1. uict. acut. Com. 44.

Sect. 6. Aphor. Com. 33.

omni pleuritidi, & ab humore bilioso, & pituitoso confert. Tua uerò cóclusio ita habet: Fuerit igitur hæc totius quæstionis peroratio: Oxymeli si morbi causa consideretur, nunquam exhibendum esse, nisi crassi ac uiscidi humores fuerint. contra quam cóclusionem est sententia Hippocratis lib.
Tex. 38. tertio de ratione uictus acutorum, ubi dicit acetum conuenire picrocholis. Ergo considerata causa morbi, cóuenit etiam biliosis humoribus, & nó pituitosis tantùm. Infrà deinde scribis: à quibus fortè quum hunc morbum Paulus & Aetius effici non existimarent, nec fomenta sicca adhibēt, nec oxymeli exhibent. De Aetio nihil dicam, primùm quia nũc apud me nó est, neq; satis memini quid scribat de hac causa: deinde quia temerè plurimis in locis discedit à Galeno. Paulus uerò, qui fuit simia Galeni, omnino existimauit dolorem lateralem fieri à pituitosis humoribus: siquidem lib.

lib.3. ſcribit: Rubrum etenim & ſan- Cap.33.
guinolentum excreatur, ſanguine naturæ modum exuperante: flauum uerò, & in pallorem langueſcens, quum flaua bilis ſuperat: quemadmodũ rurſus albicans & ſubſpumoſum, ſi pituita. Et hæc quidem uerba deſumpta ſunt ex Galeno, in libro de conſtitutione artis medicę, ubi ait: Rubrũ quidem fit (ſputum ſcilicet) ubi cruentũ id fuerit quod in ſubcingentem fluxit: flauum autem cum bilioſum. Si uerò pituitoſus primum humor incuneatus putrefactusq; autor fluxus eius exiſtat, qui phlegmonem commiſit, tunc ſpumoſa expuunt, hæc Galenus. quam ob rem autem oxymeli omiſſum fuerit à Paulo, me fugit. Hæc ſunt quæ nunc mihi in mentem uenerunt. Rogo te ut diligenter uelis hanc meam epiſtolam cõſiderare: & ſi qua in re à ueritate deflecto, fac me certiorem, & reſipiſcã. Vale. Aſsij. III. Idus Aprilis.

THADDAEVS DVNVS MEdicus optimo maximoq; medicinæ professori D. Hieronymo Cardano, præceptori suo colendiſsimo, S. D.

Epiſt. V.

SCRIPSI ad te aliâs, menſibus nimirum elapſis (præceptor obſeruandiſsime) quibuſdã de rebus haud ita magni momenti. Sed an literæ ad te perlatæ fuerint, me præterit. crediderim fermè eas interceptas fuiſſe, ſed quoquo modo ſe res habeat, parum refert Nunc quia lis mihi eſt cum quibuſdam medicis, præcipuè uerò cum clariſsimo D. Franciſco Cigalino Nouocomenſi, uiro eleganti hercle ingenio prædito, & uaria eruditione inſigni, de oxymelitis facultatibus: tibi tanquam ſummo Hippocratis Galeníque interpreti hac de re ſcribendum eſſe cenſui. Nihil enim uereor, quin pro tuo Thaddæo aliquantulum

quantulum laboris ſucepturus ſis; ſed quid pro me dico? imo pro Hippocrate noſtro, noſtroq; Galeno. male etenim à quibuſdã tractantur ij tanti uiri, medicæ artis potentiſsimi principes. Prima itaq; controuerſia inter me, & empiricum quendam hæc fuit. Impudẽs ille empiricus me arguebat, quia pleuriticis propinabam oxymeli. Ego ſtrenuè me defendebam uarijs tum rationibus, tũ autoritatibus. Sed quia neuter noſtrũ alteri credebat, elegit ille iudicem Franciſcum Cigalinũ, qui (poſtquam ei ſcripſi ſatis copioſè de uiribus oxymelitis ex Hippocrate & Galeno) reſcripſit ſatis doctè, mihi tamen nó ſatisfecit, cuius hi ſunt potiores loci. Etenim (inquit) ſi quæ ab illuſtribus medicinæ ſcriptoribus traduntur animaduertamus, cõuenit quidem oxymeli in pleuritide, ſed non omni, ita ſanè, ut duntaxat tunc ad eam facere poſsit, quando in parte inflammationis craſsi ac lenti

humores collecti fuerint. & rursus.

Fuerit igitur hæc totius quæstionis peroratio oxymeli si morbi causa cõsideretur, nunquam exhibendum esse, nisi crassi ac uiscidi humores fuerint. Nisi itaq; pleuritis oriatur à pituitosis humoribus, oxymeli omnino ipse non dat. Ego secundò ei scripsi, quod omni pleuritidi oxymeli conuenit, siue oriatur à pituitosis humoribus, siue biliosis. & ut hoc probem aliquot rationes & autoritates haud uulgares, produxi, quarum responsum non dum in hodiernum usq; diem accepi. Quid ille tandem responsurus sit, certè coniectare non possum: hoc quidem scio, argumenta esse longè difficillima. Scripsi autem ei 4. Idus Aprilis. Interea dignare, uir humanissime, ad me scribere quæ sit sententia tua: uidelicet, conueniat ne oxymeli pleuriticis ijs, quibus humores biliosi causa morbi existunt. Scripsi præterea libros quosdam de erroribus Leonar

di

di Fuchſij, quos aliquando ad te mittam caſtigandos. Vale Papienſis gymnaſij ſplendor & gloria. Aſsij, VII. Cal. Maias.

FRANCISCVS CIGALINVS Medicus Comenſis, Præſtantiſsimo viro D. Thaddæo Duno medico clariſsimo.

Epiſt. VI.

PVTABAM in controuerſia inter te & alium medicum ut genuinus ſenſus haberetur, multis opus nõ eſſe, ut qui ad te ſcribebam, quẽ Hippocratis & Galeni placitis uſq; adeò addictum eſſe perſpicio, ut aliorum ferè omnium præſertim Mauritanorum doctrinam auerſeris: ſed nunc uideo operæpretium eſſe, ut pluribus ac rebar, rem ipſam perſequar. Quod ut faciam repetenda primum

fuerit conclusio mea in pleuritide, si causæ ratio habeatur, oxymeli haud dubiè conuenire posse, dixi autem, si causa animaduertatur, ut symptomata præteream, quibus animaduersis, (ut in alijs literis ad te scripsi) dubium non est oxymeli nonnunquam scriptores exhibere, tametsi causa pleuritidis illud sibi non deposcat, atque constituto de siti exemplo, quum oxymel ab Hippocrate ἄδιψον esse scribitur, Auicenna quoq; tametsi abs te repudiet̃ tibi, nihilominus auet, dũ ob sitim oxymeli, uerùm adiecta aqua, propinat, sed omissis symptomatis, si causæ considerentur, asseuerauerim duntaxat exhibendum esse oxymel, quum crassi lentíque humores pleuritidem effecerint, quod ut Hippocratis atque Galeni placitum fuisse constet, hoc aliud quoque eorum arcanum dogma hic constituam, nullum ab eis poma, quod ad

causam antecedentem morbi parandam aut concoquendam faciat, fuisse inuentum, nisi humores crassi aut lenti fuerint. ut tamẽ excipiam, quòd etsi pomata (hodie Mauritanorũ uoce sirupos uocamus) non haberent, in quibus crassificandi uis inesset, quibusdam tamen confectionibus, ut diacodion, non carebant, quibus in nónnullis morbis causa tenuis crassificari posset. Siquidem Galenus undecimo de ratione curandi putridarũ febrium, curationem docens suo ordine illo proposito, febris cum suis symptomatis, causæ antecedentis inhibitæ transpirationis, obstructionis, eiúsque causæ quæ duplex est, plenitudo, aut crassities & lentor humorum, si plenitudo fuerit curationem à missione sanguinis auspicatur, si crassities humorum aut lentor, ab his quæ extenuare, dissecare, aut detergere ualeant, cuiusmodi sunt quinque sua illa pomata, quæ ad hunc scopum ab

eo inibi ſcribuntur, cremor hordei, aqua mulſa, apomeli, oxymeli, & decoctum radicis apij, tamen ita exhibet, animaduerſa cauſa, hoc eſt, humoribus craſsis & glutinoſis, ut aliqua etiam ratio febris habeatur, quæ ſi perualida fuerit, humores qui infarctum efficiunt cremore hordei, potius quã aqua mulſa detergere deligit, ſanè ſi cauſa febris antecedens craſſa & glutinoſa fuerit, oxymel non ſolũ ad cauſam infarctus, ſed etiam febris procul dubio facit. quòd ſi ea quæ febris antecedens eſt, cauſa, fuerit tenuis, non ob hanc, ſed obſtructionis cauſam tãtùm, quam craſsi ac lenti humores effecerint, à Galeno propinatur. quid enim iuuerit cauſam tenuem Galeni pomatis præſertim oxymelle detergere, extenuare, atq; diſſecare? nec certè propinares, ut exiſtimo, ſcriptores illos ſecutus, qui omnibus in morbis tenuem cauſam craſsificandam eſſe teſtantur: quod ſi etiam facere curares,

res, Galeni planè pomatis nunquam illud efficies, quis enim humores tenues oxymelite craſsificabit? hoc nõ ſolum fieri non poteſt, ſed ſi etiam fieri poſſe quiſpiam contenderet, impudentiæ potius ac extremæ dementiæ coarguendus foret, quàm quod in tã euidenti errato, aliqua ratione conuinceretur, igitur in febribus acutis, quarum antecedens cauſa bilioſa atque tenuis materia fuerit, quũ Galenus oxymeli aliaq; ſua pomata propinat, non materiæ tenuis, ſed craſsioris ac lentioris, quæ obſtructionem effecerit, rationem habet. Hæc igitur mi Thaddæe acuratè conſideres, atque perpendas, ut penitioris Hippocratis atque Galeni doctrinæ arcana percipias, ſed accedamus quæſo ad oxymeli quod tu animaduerſa pleuritidis cauſa, tametſi bilioſa atq; tenuis fuerit, ſecũdum Hippocratem & Galenum exhiberi poſſe contendis, quũ ego tantum illud à Galeno propina-

ri ſcripſiſſem, quando craſſos ac glutinoſos humores phlegmones fuiſſe cauſam conſtiterit, ſed quod tibi minus uerum uiſum eſt, quaſi uero id ego ſomniauerim, & à Galeno libro citato, tertio ſcilicet de ratione uictus in acutis, ſenſus idem nõ ſcribatur, tãetſi non ijſdem uerbis, age Galeni eo ipſo libro enarrationem excutiamus. Simulatq; Hippocrates ualde acre oxymeli his propinandũ eſſe tradit, qui
Tex. & Cõ. 27. & 28. pernicioſè habentes nec tuſsire, nec quæ intus continentur excreare poſſunt, modo tamen uires ualidæ fuerint Galenus proculdubio hos intellexit, in quorũ pulmone craſsi ac glutinoſi humores extiterint, in quib⁹ eo utimur non tanquam exiccante, ſed incidente & detergente. Poſtea uerò quum de mediocriter acri Hippocra
Tex. 30. tes hæc dixiſſet, quod aũt parum acre eſt, os fauceſq; humectat, ſputum educit, & quę ſequuntur, Galenus hæc edisserens, nempe inquit, minus ſiticu-
loſum

losum erit, atq; ob id sputa quæ non omnino crassa ac glutinosa sunt, facile educet, ut intelligas ualdè glutinosis & crassis humoribus, ita sanè ut ægrotantes neq; ob id extussire, nec excreare quicquam ualeant, modo robur uirium adsit, ualde acre deberi, minus uerò crassis & lentis, minus siue mediocriter acre, quũ .s. ægrotantes nonnihil expuere possunt, destinari. igitur si humores glutinosi fuerint, & ita perniciosè habeant, ut nihil despuant, ualde acre oxymeli conuenit, quum uerò minus crassi ac lenti humores fuerint, & lætaliter non habent, & quidpiam reijcere ualent, hìs mediocre dandum fuerit. Itaque quis non uideat tãtum quum crassi ac glutinosi humores pleuritidem effecerint, oxymeli esse propinãdũ. ꝙ si humores tenues fuerint, nullum Hippocrates & Galenus poma exhibent, non enim tenuia extenuare intendunt, neq; ut post eos Maurita-

ni, & iuniores Latini fecerunt, pomata exhibent, qualia sunt, uiolaceum, & quod ex sericis, siue ziziphis componitur, quibus similiter ut illi crassificent. Siquidem omne oxymeli tam mediocriter acre, quàm ualde acre, dissecat, detergitq; : sed uehementer acre cũ exiccationis offensa, mediocriter acre absq; illa, quo igitur emolumento biliosa tenuiq; causa considerata oxymel exhiberes? non enim ut attenues, neq; ac scio, ut posteriores imitatus crassifices, quod neq; oxymelite fieri posset, sed alijs ab his, ut diximus, excogitatis. Sed scio te mihi obiecturũ, quòd Galenus uerba Hippocratis enarrans de acri oxymelite sic ait: sed quando neq; secat, neq; detergit, in sequentib⁹ docebit. Porrò in sequẽtib⁹ de mediocriter acri pertractat, igitur mediocriter acre neq; secat, neq; detergit. In primis dixerim uerba hæc à uero longe esse aliena, tum quia de mediocriter acri, Hip-

Com. 26.

Hippocrates quod ſputum educit te ſtatur, tum quia ualeat oxymel quod his functionibus caret. ſed ut cito negocium conficiam, caue ne tibi interpres falſa conuerſione in latinum imponat, nam græce ſic habet: πότε οὖν ἀποτυγχάνει ῥύπτειν καὶ τέμνειν αυτὸς ἐφεξῆς ἐδίδαξε, quando igitur detergit, & ſecat, in ſequentib. docuit: hæc enim Galenus ſcripſit ut intelligamus oxymeli ualde acre incidere quidem, & detergere, ſed cum exiccatione: mediocriter uerò acre de quo mox tractaturus eſt, Hippocrates ſecandi, ac detergendi, ſine exiccatione uim obtinere. ubi igitur legendum erat οὖν. i. igitur, legit interpres οὐκ. i. non. perſpice quæſo quanti refferat deprauatus codex aut interpretis lapſus. Alexandrum præterea Trallianum, ut opinionis meæ teſtem ueraciſsimum, & qui Hippocratis, & Galeni ſenſum probè intellexiſſe mihi uiſus eſt, citabam, qui conſiderata pleuritidis cau

ſa, ſi pituita fuerit, quo in pulmone infarcta expuatur, aquoſam mulſam, aut apomeli quæ citra uires ſunt oxymelitis, exhibet, quum uerò tenacior ac glutinoſior fuerit, ipſum oxymeli propinat, in cuius decoctione marrubium etiam inditũ fuerit. ecce quòd Alexander etiam in pituita oxymeli propinare ueretur, niſi tenacior fuerit, quomodo igitur ais, ſi materia fuerit tenuis, quid nocebit oxymelitis exhibitio? nocebit, inquam, Thaddæe, miſſum facio in primis, quòd tenuia extenuare deridiculũ uideatur, quòd citra offenſum illud fieri non queat, ex eo quod tenuis materia ſi amplius ſecetur attenuetúrque, expulſioni ineptior efficietur, tum quia diuiſa attenuatáque magis imbibitur in pulmone, tum quia occurrente ſpiritu diuiditur & reſilit in pulmonem. Non ab re fortaſsis Mauritani tenues materias ſpiſſandas eſſe prodiderunt, nam & Auicenna ipſe capite de

de pleuritide proprio, quod è pulmone tenuis humor reijci nequeat, inter alias causas subtilitatem assignat. Sed uidere uideor dum Mauritanos cito, tibi fortassis stomachum facere, quocirca uerborum Galeni seriem libro de affectis locis quarto subijcio. Cap. 9. Quippe bifariam accidere potest ut uehementer tussiendo pauca quis expuat, alij enim ob lentum crassúm ue humorem, alij ob tenuem id facere uidentur, siquidem tenuis humor quum subleuatus est, inter tussiendum à spiritu diuisus refluit, lentus uerò, & quæ sequuntur. Verùm si obieceris quod animaduersa pleuritidis causa Græci non crassificant inspissantq́ue, ad hæc quod uniuerse cremorem hordei ipsamq́ue aquam mulsam quę attenuat pleuriticis laudant. illud primum respondeo, quòd si Auicennæ credimus, Galenus in principio species deiacur, hoc est, diacodion exhibebat, ut fluxionẽ sisterent,

maturarentq́ꝫ, quòd apud eum dictu nil aliud eſt, quàm ut craſsificarent, tametſi dubitet ipſe ne ſputum impediatur, niſi ui ſacchari papaueris offenſa remoueatur. Sed Auicennæ teſtimonium mittamus, Græci quidem quandoq́ꝫ quum materia tenuis fuerit inſpiſſant, ut arteriacis Andromachi confectionibus conſtat, referente Galeno libro ſeptimo de compo. medi. per loca, uerùm ea ſemper adijciunt, quæ attenuant deterguntq́ꝫ, ne nimia ſputationis iniuria inſpiſſante medicamento ingrueret. Quamobrem Galenus eodem libro, & ſi tenui humore defluente diacodion ex defruto dari uelit, ueret̃ tamen, ne quod delatum eſt in pulmonem craſsificatum reiectari non queat, ut ob id diacodion, quod ex melle conficitur dãdum iubeat quod uirtute mellis attenuet, extergat, & ad ſputandum adiuuet, atq́ꝫ, ut ad pleuritidis cauſam ſermonem contraham, quando humores

res tenues fuerint uſque eo Græci inſpiſſantia uerentur, ut potius ea quæ extergunt exhibeant, ita ſanè, ut neq; pomata uiolacea, nec ex ziziphis, tãetſi ob ſaccharũ detergant, contrà ac poſteriores, exhibeant. Porrò hordei cremorem, & aquam mulſam dant, quæ abſtergẽdi uim habent. at dicas, aqua nihilominus mulſa attenuat, igitur tenuia quoque attenuas. Reſpondeo plus in ea emolumenti eſſe quod abſtergat, quam nocumenti quod extenuet. omnibus igitur pleutiticis aquam mulſam, aut apomeli medicamentum, quod ex fauis (κηρία Græci uocant) conficitur, propinant. Verùm ſi febris nimium urgeat aquoſam eſſe iubent, quæ ſi non ut cibi rationẽ habet, perquàm in omni cauſa dari poteſt: ſed ut medicina eſt, exhibeatur, ſiue humores fuerint bilioſi & tenues, ſiue pituita aquoſa, quæ tenaciter in pulmone non inhæſerit hac ſpe propinatur ut plus utilitatis

ſequatur detergendo, quam offenſæ attenuãdo. multo magis cremor hordei abſq; inſigni attenuationis iniuria detergendi munus peragit. itaque ut in ſumma dicam, res apud Græcos ita ſe habet, ut ſi humores craſsi ac lenti admodum fuerint, ut in his qui pernicioſ è habent, oxymeli ualde acre propinant: ſi minus glutinoſi craſsíque, mediocriter acre oxymeli dandum uelint. Si pituita quæ tenax non ſit, apomeli aut mulſam. in reliquis uerò ut tenuibus, mulſam, apomeli, & hordei cremorem exhibeant, tametſi mulſam, apomeli, & cremorem hordei in omnibus, quod ad uictus rationem pertinet, commendét. Supereſt mi Thaddæe, ut pugiones tuos quibus concluſionem noſtram impetis, retundamus. primúmque illud quod ſupponis in bilioſa pleuriti de oxymeli iuuare poſſe, aut non nocere animaduerſa cauſa, utile uerò proculdubio eſſe poſſe, ſi ſymptoma-
tum

tum ratio habeatur. ut alienũ à uero, quãtũ ad causam attinet, repudiam⁹, ut his patet, quę ante ostendimus. q̃d uerò ad symptomata pertinet, non eo inficias, sed à cõclusiõe mea deflectis. Porrò eam rationem, quod Galenus nulla facta causę pleuritidis distinctione, oxymeli tertio de rat. uict. in acut. cõmẽdet, quodq́; tametsi librũ illum acuratè perlegeris, nunquam abs te inuentum est, ꝙ tantum illud laudet, quando crassi ac glutinosi humores fuerint, facilè diluim⁹, ex eo quod ante palã fecimus de crassis & tenacib⁹ humoribus, quũ pleuritidẽ effecerint Galenũ oxymeli destinare. Librũ igitͤ illũ si rursus legeris, nõ secus ac dixi inuenies, eamq́; rationẽ, quod Galenus primo de ratiõe uictus in acutis pleuriticis oxymeli laudet, igitur omnib⁹ pleuriticis, facilè refello, quod hęc cõsecutio ab omnibus, ut nullius momẽti, cõfutetͭ. Sũt.n. apud autores multæ indefinitæ propositiones. quas operę

pretium fuerit lectorem uniuersaliũ an priuatarum uim obtineant, intelligere. nec quòd Galenus hoc loco de causa pleuritidis non distinxerit, iccirco arbitrari conuenit, quòd generaliter ac uniuersè propositio accipienda sit: satis enim hoc loco fuit, quum præter chondrũ, tria apud Hippocratem pomata inueniantur, cremor hordei, aqua mulsa, & oxymeli, declarare, quòd chondrus cibi duntaxat rationẽ habet, cremor uerò hordei, cibi & medicinæ, aqua mulsa cibi pauci & imbecillis, quæ tamen, licet inibi Galenus non meminerit, ui medicinali non caret: postremò oxymeli medicinæ tantùm, prodest ergo oxymeli pleuriticis ut medicina. quinimo ut rectius rem ipsam intelligas, neutiquam par fuit ut Galenus dixerit oxymeli aliquibus pleuriticis cõuenire. quandoquidem si consideres quã ob causam inibi Galenus loquatur, sanè conuenit omnibus pleuriticis,

cis, nam nulli ſunt pleuritici quibus ob aliud quàm ut medicina, utile ſit. Sed ſi deinde tibi illud de quo hic Galenus non curauit, in mentem uenerit, cauſa ſcilicet pleuritim efficiens, iam aliquibus dũtaxat pleuriticis Galenus exhibendum cenſeret. Perſpice quæſo mi Thaddæe, quod etſi animaduerſa cauſa aliquibus tantùm pleuriticis oxymel dandum ſit, tamẽ ſi ibi oxymel aliquibus pleuriticis conuenire dixiſſet, exiſtimaſſet lector eſſe poſſe pleuriticos, quib⁹ oxymeli ali⁹ quàm medicinę rationem habere poſſet, quũ cibi nunquam, aut cibi ſimul ac medicinæ rationem habeat, quocirca his etiam ſublata eſt quæ ſequitur obiectio. Nã licet pleuritico nulla humoris facta mentione Galenus oxymeli conuenire ſcribat, non conſiderat ibi pleuritidis cauſam, ſed oxymeli duntaxat, quatenus in pleuritide medicinæ munere tantùm fungitur. At uerò ad illud quod demũ ob-

ijcis, acetum picrocholis autore Hippocrate utile esse, non abnuerim quidem, sed quemadmodũ Galenus hũc ipsum locum enarrãs scripsit, scilicet refrigerando, sed ob id non sequit̃ ut ijsdẽ attenuando secandoq́ utile censeat̃. Deniq; quod abs te mihi obiecta tur, neutiquam uerum esse ꝙ Paulus, contrà ac scripsisse uideor, pleuritim crassos lentosq́ humores efficere nõ fuerit arbitratꝰ. Si germanus è uerbis meis sensus eruatur, longè aliter res se habet, ac scribis. Nã quum dico ꝙ forte Paulus, ut nunc missum faciam Aetium de quo non curas, non existimauit ꝙ à crassis glutinosisq́ humoribꝰ pleuritis efficiatur, non intelligo ꝙ secundũ eum nunquã ab his hic morbꝰ cõtingat, sed rarò, quemadmodũ etiã Mauritani deinde & quidẽ adducta ratione, quam nunc prætereo, arbitrati fuerũt. quis nesciat Aeginetã tradere etiã à pituitosis humoribus pleuritin posse cõtingere, id quod maximè

ex

ex ſputi colore docet medicũ cogno ſcere, ſed quũ illud rarenter admodũ cótingat, iccirco adhuc aſſeueraueri prętermiſſa ab eo fuiſſe oxymeli & fomenta ſicca, quis æque neſciat Auicẽnã idem quod Paulus peræque ſcribere, uidelicet ex ſputi colore nó ſolum alias cauſas, ſed etiã craſſam materiã à medico cognoſci, à quo tamen reddita ratione non niſi rarẽter à materia craſſa & lenta pleuritim euenire proditum eſt. Habes hac mea epiſtola fuſius quàm alia, Thaddæe mi doctiſsime, quibus laterali morbo correptis, conſiderata cauſa, dãdum, & quibus non dandum ſit oxymeli, repercuſsis demũ ac infirmatis obiectionum tuarum aculeis, quæ tibi quominus concluſioni meæ ſubſcriberes ſuadebant non parum: quæ ſi eo affectu poſito, quo quiſq; ſua diligere & enixè defendere ſolet, conſideraueris, fore nó dubito, ut à me ne latũ quidem unguem diſſentias. Vale. Comi 3. nonas Maij.

THADDAEVS DVNVS MEdicus Doctrina ac pietate conspicuo viro, D. Francisco Cigalino Nouocomensi, medico præclarißimo, & amico optimo, S. D.

Epist. VII.

HVMANISSIMAE literæ tuæ redditæ mihi fuêre IIII. nonas Iunias, in quibus amorem tuum cum ergà me singularem, tum maximè erga ueritatem singularissimum perspexi: unde satis superq; satis gaudeo, quod te talem tantumq; uirum noscere mihi contigerit, reputoq; me triplo ac quadruplo feliciorẽ, quàm essem prius. Parce uerò mihi humanissime Frãcisce, si literis meis frequentius quàm par sit, te obtundo. Scio aliud tibi esse curæ, sció que multa alia negotia te aliò uocare, nihilominus tua incomparabili fretus humanitate nihil uereor

reor tectum tuum ſubintrare,ac te alloqui. Quare ut breuiter ad rem noſtram ueniam,depoſito eo affectu,de quo in calce tuarum literarũ ſcribis, quæ tandem mea ſit ſententia paucis aperiam. In primis ego non recedo à tua opinione,quod oximeli dandum nõ ſit bilioſis pleuriticis ad hoc ut tenues humores attenuet magis,neque enim hæc mea eſt intẽtio dum ipſum exhibeo : quin potius ad hoc ipſum propino,habita ratione cauſæ,ut humores feruentes refrigeret, & uiam ipſis ad expulſionem paret,& omnem obſtructionem tollat,demum ut ſymptomata auferat.propter hæc,inquã, omnia oxymeli ego exhibeo in bilioſa pleuritide, affirmoq; propter eadẽ exhiberi à Galeno & Hippocrate,quod tu tibi perſuadere non potes, ut qui obnixè contendas oxymeli dandum nequaquã eſſe bilioſis pleuriticis cauſa conſiderata. Vbi uideris de uerbis potius quàm de re mecum agere.Cre

do enim te quoq; esse huius opinionis, quòd utiq; dãdum sit oxymeli in prædicta pleuritide, quia multũ ipsis conferre posit. sed nó uis quòd habito respectu causæ, exhiberi posit, propterea quòd cũ humores tenues sint, & oxymeli attenuet, ideo noceat in hoc casu. Verùm modo mihi concedas quòd omnibus pleuriticis biliosis (de pituitosis enim nó dissentis, ut empiricus ille Zoius) rectè propinet, amplius hac de re non disseram, hoc enim est qđ quæro. Quãtum attinet ad symptomata, nihil mihi negas, neq; etiã quantum ad alterationé qualitatis humoris morbũ faciẽtis. credo etiam quòd non negabis exhiberi posse ad hoc, ut obstructiones tollat, & meatus aperiat. quum uerò hæc omnia mihi concedas, quomodo dubitabis ipsum omnibus propinare? Sed respódebis, quòd ideo uereris eius exhibitioné, quia humores tenuiores facit, & per consequens, ineptiores ad expulsionem.

pulsionem. hoc unum enim eſt, quod te remoratur quominus deſcẽdas in meam ſentẽtiam. Quare reſpondeo, ꝙ tametſi aliquod incommodum ſequi poſſet propter hoc quod dicis, tamen quoniã utilitas quæ ex eo ſequitᷣ longè ſuperat tam puſillum incõmodum, iccirco uereri non debes eius exhibitionem. Sed quod maius eſt, nullum planè incõmodum ſequi poſſe credo, quia licet humores illi qui inflammationem efficiũt natura ſua tenues ſint, quum tamen in locum quẽpiam coaceruantur, infixi & impacti manẽt eo in loco, indigentq; tum aliquo medicamento quod ab infarctu liberet, quale eſt oxymeli. Verùm ut dixi, licet aliquod incommodum ſequi poſſet, (quod tamen non credo, quia Galenus in eo caſu non ueretur ipſum exhibere, ut demõſtratum eſt, & demonſtrabitur denuo) tamen quia incredibilem utilitatem adfert, adeò ut laborantes pulchrè liberet à

morbo, ut quotidiana experiētia cognoſco, ideò omittēdum omnino nō eſt. Illud tamen non negauerim, me raro, aut nunquam ſolum oxymeli propinare, ſed plerunq; cum pomate uiolaceo, aut alio quopiam, iuxta naturā morbi. ut hinc etiam ſcias tale incommodum ſequi non poſſe propter admiſtionem uiolacei pomatis. Non tamen ad hoc confugio quaſi dubitem me nō poſſe defendere hoc, quòd ſolum oxymeli bilioſo pleuritico propinatum, rectè propinatum ſit, Galenus enim ipſum ſolum propinabat.
Non eſt autem quòd expectes reſponſionem prioris partis epiſtolæ tuæ in qua de humorū incraſſatione agitur, quoniam Arabicam illam doctrinam illuſtres neoterici medici communiter explodunt, ut quæ nō modo Græcæ doctrinæ contrarietur, ſed etiā ex ſe abſurda & inepta admodū ſit. Imò ſi aliquando ſtuduiſti materiam pleuriticorū incraſſare, proculdubio magnam

gnam cladem expertus es. humores enim qui in ſuccingentem coſtas mẽbranam fluxerunt, tenacius inhærent & nihil effluit, inflãmatioq́ augetur. Nec parum refert quod cõtineantur intra membranam, non autem intra pulmonem. nam ſi in pulmone deprehendantur humores adeò tenues, ut reijci non poſsint, aut in ipſum deſtillent, tum cẽſerem exhibenda eſſe medicamenta incraſſantia: aliâs uerò nũquam. Inflãmatio autem uocata pleuritis membranam non pulmonem occupauit: in qua ægritudine Græci nullo modo incraſſantia exhibent, ut ipſe quoq; fateris in epiſtola. Proinde corruit argumentum quod ſtruxiſti non lõgè à principio epiſtolæ ubi ſcribis. Sed omiſsis ſymptomatis, ſi cauſę conſiderentur, aſſeuerauerim duntaxat exhibendum eſſe oxymel, quum craſsi lentiq́ humores pleuritidem effecerint. quod ut Hippocratis atque Galeni placitum fuiſſe conſtet, hoc

aliud quoq; eorum arcanum dogma hic constituam, nullum ab eis poma, quod ad causam antecedenté morbi parandam aut concoquendam faciat fuisse inuentum, nisi humores crassi aut lenti fuerint, & quæ sequuntur. Supponis enim hic barbaram illam opinionem de humorum incrassatione, à qua summopere abhorrent non modo Græci, sed & Latinorum boña pars. Si secundum Græcos humores tenues incrassandi essent, sicut crassi attenuandi, sequeretur utiq; quodámodo eos oxymeli duntaxat propinasse, cum humores crassi ac lenti fuerint, propterea quòd attenuat, nó aũt quoties fuerint tenues, quoniam non incrassat. Inuentum uerò à Græcis est oxymeli, non tantũ ut humores crassos ac létos attenuet & incidat (dictũ enim est in secũda quam ad te dedi epistola, oxymeli pluribus præditũ esse facultatibus) sed etiam ut nimium calidos humores refrigeret, ut obstru-

 ctiones

ctiones tollat, & ut ſymptomatis occurrat. In biliosa pleuritide propter hæc poſteriora omnia datur. licet nõ opus ſit priori illa ſua facultate attenuandi & incidendi quantum attinet ad cauſam, nam quantum ad obſtructiones, & in biliosa pleuritide etiam tali facultate opus eſt. Mihi ſanè res hæc adeò plana uidetur, præclariſsime Fracíſce, ut uel ipſis tyronibus medicinæ peruia ſit, quocirca me confero ad poſteriorem partẽ epiſtolæ tuę, quæ cõfutatoria eſt argumentorum meorum. Si diligenter adhuc argumẽta illa conſideraueris, cognoſces te nihil in contrariũ quod ſit alicuius momenti adduxiſſe. Primum enim argumentum meum hoc erat.

Galenus pleuriticis oxymel propinat, nihil præfat⁹ de cauſa morbi, ſiue ſpecie humoris morbũ facientis, igĩt omnibus pleuriticis exhiberi poteſt, concludebam aũt eum in modũ, quia ſi tantũmodo in pituitoſa pleuritide

dãdum eſſe oxymeli, Galenus hac de re aliquid dixiſſet. quum autem nihil dixerit, ſed ſimpliciter ſcripſerit oxymeli dandum eſſe pleuritico, ideo crediderim ipſum dediſſe in bilioſa pleuritide non ſecus ac in pituitoſa, præſertim cum bilioſa multò frequentior ſit. Reſpondes autem huic argumento, quòd cũ propoſitio illa ſit indefinita, cõſiderandum eſt, habeát ne uim uniuerſalis, an uerò particularis: tuq; ita conſideras, ut uideo: oxymeli uim habet attenuãdi & incidendi: ſoli humores pituitoſi attenuari debẽt & incidi, igitur ſolis his humoribus oxymeli conuenit. At ego longè aliter cõſidero, hoc uidelicet pacto. oxymeli facit contra difficultatem ſpirandi & expuendi, & contra ſitim ac tuſsim, item contra obſtructionem, quæ omnia in utraq; pleuritide cernuntur, ergo in utraque pleuritide dandum eſt. In bilioſa autem pleuritide præter iã dicta omnia, adeſt humorum ſuprema

ma

ma caliditas, contra quam oxymeli multum ualet: igitur in hac maximè dandum eſt. Perſpice nunc, uir ornatiſsime, an propoſitio illa habeat uim uniuerſalis, an uerò particularis. Tu in hoc delinquis mirum in modum, quòd unam tantùm facultatem oxymelitis conſideras, cum omnes conſiderare oporteat. Cætera argumenta mea hoc ſequuntur. Habita uerò cóſideratione ſolius cauſæ, dixi ex Hippocrate, ipſi quoq; cauſæ biliosæ oxymeli conuenire. tu uerò reſcribis, ꝙ planè conuenit refrigerando, ſed non attenuando aut incidendo. rectè quidem, ſed nihil cótra me. Sufficit enim mihi quòd oſtenderim oxymeli non eſſe inutile in biliosa pleuritide conſiderata cauſa. Poſtremò uerba tua de Aegineta nequaquam ſiniſtrè ſum interpretatus, ſed quoniam ſcribebas ipſum fortè non exiſtimare pleuritim fieri poſſe à pituitoſis humoribus, ego locum illum produxi, ubi dicit fie-

ri posse, quia signa quibus cognoscitur, docet. Si uerò dixeris ꝙ rarò fiat, ego nó eo inficias. Addam & aliud argumentũ, quo ostenditur Galenum in biliosa pleuritide potissimũ oxyme
Com.30. li dedisse. Ipse Galenus lib.3. de ratione uictus acutorũ scribit. Cum itaque mulsæ facultas cætera quidem omnia quib⁹ morbi huiusmodi opus habẽt, contineat, in uno aũt duntaxat contraria, quod scilicet supercalfacta ipsa bilescat, migrationem sanè huiusmodi permistio aceti cohibens, optimũ efficit medicamentũ. Galenus hic biliosam potissimũ pleuritidẽ, aliosq́ biliosos morbos acutos subintelligit, in quib⁹ si mulsam ꝓpinaueris, ipsa in bilẽ facilè cõuertetur. quia mel in biliosis morbis & naturis datum, bilem ac morbum auget. oxymeli autem nõ bilescit propter admistionem aceti. Si autem subintelligeret pituitosam pleuritidẽ, mulsam, multum cõmendaret, quia in eo casu in bilem nõ con
uertitur,

uertitur,ſed humores frigidos & craſſos calefacit & attenuat. Sicut enim colligimus ex textu.30.&38.oxymeli cõpetere picrocholis: ita ijſdem non competere mulſam, tũ ex. 9. tum 30. pituitoſis uerò maximè. Nihil ergo eſt certius, quàm quòd Galenus liberè oxymeli exhibeat in bilioſa pleuritide. Ex his manifeſtum eſt te errare, dum cenſes Galenum in eo comento de pituitoſis ſputis agere, ac proinde ſequi ab ipſo dari oxymeli in ſola pituitoſa pleuritide . nam cum Galenus loquatur de ſputis quæ non omnino craſſa & glutinoſa ſunt, quibus mediocre oxymeli deſtinat, bilioſa ſputa planè intelligit, ut etiã ratio noſtra euidẽter oſtendit. Boni conſule, rogo, hanc meam ſedulitatem in hac diſceptatione, communis enim laborantium utilitas quæ hinc naſcitur, me ad omnem laborem ſtimulat. Nihil mihi gratius contingere poterit, quàm tertiam tuã reſponſionem ui-

dere. Vale. patriæ decus & ornamentum. Aſsij. III. Idus Iunij.

Mors importuna hic D. Cigalinum ſuſtulit.

HIERONYMVS CARDANVS *Medicus, D. Thaddæo Duno medico, S. D.*

Epiſt. VIII.

QVOD ad me de literis tuis datis ante Calēdas Maias ſcribis, amice chariſsime, nihil eſt quod dubites. Si enim perlatæ fuiſſent, protinus reſpondiſſem. A diſceſſu tuo enim literas nullas abs te accepi, una duntaxat epiſtola excepta, quam primis diebus miſeras. Neq; aliud continebatur quàm quod Aſsij eſſes. Id mihi ſatis eſſe putaui, ſcire ubi eſſes, quandoquidem & tu certò noſſes ubi eſſem. Iam uerò de lite quam habes cum illo empirico primum nihil miror, nam tu de

re

re probabili ſaltem litigas: at ego de certiſsimis rebus litigare cogor. Quã doquidem inter cæteros nuper ſtupidus quidam Mediolani, & paulò melior Theſſalo audet dubitare, an in acutis morbis carnes, & oua, & uinum debeamus exhibere? Et de uino certe quod minus offendit nobiſcũ ſentire uidetur: de reliquis de quibꝰ nulla eſt dubitatio, homo turgidus adeò dubitat, ut contrariam ſententiam teneat, iugulaturus, ut uideo, quotquot homines acuto morbo laborantes in eius infœlicem manum inciderint. Neq; illum authoritas Hippocratis, neq; Galeni, neque ratio, neq; experimentum poteſt hũc ſtupidum hominem à ſententia tam abſurda amouere. ſed cum ancillis & mulieribus de ægri ſalute miſer hic, quanquam plurimas iactet diuitias, conſulit. Idem cum audiſſet ex me abſceſſum in ſepto tranſuerſo abſq; dolore omnino fieri poſſe exclamauit uir eruditꝰ, hoc

nouum esse paradoxum. Neq; unquã apud Auicennam uidisse pleuritidem absque dolore, sed aliquando serius contingere, aut maiorem modo, modo minorem. Atque ita hic uir eruditus (dignus prorsus qui cum lanificis mulieribus cum quibus consilia agit, conferatur) nugatur. Nec animaduertit primum pleuritidem non dici de abscessu in septo transuerso, sed solum in pleura, uel uocato panniculo diuidente pectus, aut de his abscessibus qui in musculis fiunt. Minus uerò sapiens uir intelligit quod Auicenna nullibi nec in decima tertij, nec alibi mentionem fecit abscessus, seu apostematis diaphragmatis, seu non nouerit, seu non auderet signa illius ponere. Idem homo cautus non nouit quòd GALENVS persæpe ab AVICENNA dissentit. Sed mirum non est in re rara, & quasi illi recondita errasse. nec magis mirum est contendisse acriter, quasi

ſi eruditionis calculus pro cenſu debeatur. Sed mirum eſt in uictu acutorum morborum adeò delirasse. Sed quid tu feciſſes amice mi, certè acriter pugnaſſes ut ambo ridiculi ciuitati fuiſſetis. Nam & illud mihi teſtabatur mulier nobilis quam à graui morbo liberaui, cum hunc eundem aliúmque iuniorem ſatis certè eruditum aduocaſſet, parum abfuiſſe quin pugnis decertarent. Quo factum eſt ut lite per domeſticos dirempta uterque dimiſſus ſit. Non tibi nugas ago, ſcis me non ſolere mentiri. Itaque ſatius duxi illum cum plebeio ægro (nam ex infima plebe erat hic cui propter amicum operam potius dabam quam ob pecunias) dimittere ridendo, quàm apud tam abſurdum hominem contentione agere. Nam ego noui ſemper fuiſſe multos Theſſalos, Hippocratis ætate Gnidij, Galeni, Methodici cum ſua diatrido, Augu-

ſti temporibus Themiſon, unde Iuuenalis:

„ Quot Themiſon ægros autumno
„ occiderit uno. Tu uerò demiraris nunc eſſe empiricos qui tibi cõtradicant? Nonne meminiſti quid Gale-
Cap. 2. nus dicat tertio Methodi? Certè, inquit ille, minimam ſpem habeo propter eum qui nunc regnat bonarum artium contemptum, diuitiarum uerò & ciuilis exiſtimationis ac potentiæ admirationem hæc quæ ſcribo ulli uſui futura eſſe hominibus. Et alibi in eodem opere: Actum eſt de medicina hoc noſtro tempore, niſi Deus
Cap. 1. aliquis nobis ſuccurrat. Vide quæ ſcripſit in primo libro eiuſdem, dum docet uocari ad ægros non eruditos, ſed aulicos atq; conuiuijs aſſuetos. Sẽper omne in præcipiti uitium ſtetit. ut nihil mireris id genus hominum quod eruditiſsimis ac noſtris præceptoribus non pepercit, nobis futurũ inimicum. Cauſam iam habes, imperitiam

ritiam inimicam eruditioni, ſummam ambitionem cum auaritia coniunctam. Vnde quoſdam experieris alioquìn tibi iure magis infenſos, mitiores, quòd eruditionis ſint participes. quod ego etiam hic Mediolani experior. ita enim quiſq; mihi amicior eſt, ut eruditior. tres aut quatuor qui uerbis plebem ſeducunt neq; quicquam quod ad artem pertineat norũt, ita apertè de nobis maledicunt, ut qui nõ norit nos illos eſſe putet. Quòd ſi quis uera me non dicere exiſtimat, in examen ducantur, nam neque ritè latinè loqui norunt, neq; philoſophiæ partem ullam attigêre, neq; rationem artis intelligunt, nec præcepta medẽdi. Sed finxerunt ſibi quædam commenta, quibus illudant plebeculæ. Sed poſtquam in hos ſermones incidimus, audi rem ridiculam atque ſuauem. Erat ut ſcis Alciatus Iuriſconſulus, uir omni laude dignus, qui noſtram prouinciam noſtrámque æ- Alciatus.

tatem miris modis tum etiam monumentis illuſtrauit. Prudens etiam in omni ciuilium actionum genere, utque breui pertranſeam immenſum pelagus laudum ſuarum, humillima ſtirpe natus, diuitias, nomen, ſtipendium, doctrinam, Regum amicitias, ſibi non uulgares comparauit. Sed hæc omnia ex ſorte. Sed præter ſortem, ut ſolus legeret, collegij Mediolanenſis ſocietatem & ordinem ſenatorium, maiora etiam, ſi non modo curaſſet uerùm non neglexiſſet, habiturus. Monumenta quæ reliquit dij boni qualia & quàm multa ſunt. Hic igitur tantus uir cum ægrotaret uel infœlicißimis medicis, uel omnino imperitis utebatur, nouißimè autem ex omnibus qui Papiæ degebant unum penitus literarum expertem, ſibi delegit inter tot præclaros uiros, eúmque ſolum, ſub quo mortuus eſt. Improbabis conſilium uiri, at ego probo.

Vo-

Voluit uideri, puto, uir ſapiétiſsimus mortis ac tantæ iacturæ medicinam non fuiſſe conſciam. itaque aduocauit empiricum. Quis enim nouit an uitæ pigeret, uel quòd pedum doloribus nimium grauaretur, uel quòd ſe ad ſummum gloriæ perueniſſe ſentiret. Atque hæc de cauſa dicta ſint. Quid tandem ad rem dices, ut tibi perſuadeam de his nebulonibus minimè oportere te eſſe ſollicitum. Nam cum tria ſint quæ ad medicum ſpectant, eruditio, gloria, & ualetudo incolumis, nemo mortalium efficiet unquam ut hæc tria ſimul aſſequatur. Nam & Galenus morbis pluribus correptus eſt, & gloriam ſua ætate paruam eſt conſecutus. palàm enim eſt ex ipſius monumentis, tum in primo methodi, tum de præſagio ad poſthumum, tum in libello de ordine ſuorum librorum, non fuiſſe illum inter præcipuos, ſed multos Romæ eum fa-

ma antecessisse. Quanquam ualeret Galenus non parum artibus Græcis, essetq́ prædiues, & huic rei maximè intentus, nec quicquam illi magis ad studia profuit, quàm quòd primas partes cum obtinere se non posse uideret, desperans ad scribendum legendúmque se contulerit. Tuum igitur est horum trium unum relinquere: atque id tui est arbitrij. omnia hæc retinere non potes. Quod igitur minus est utile aut necessarium meo iudicio est, ut contentiones istas nebulonibus relinquamus, solidæ uerò eruditioni insistamus. Quandoquidem iam tu multo spatio processeris in arte, calleasq́ linguas quæ non solum tibi ornamentum magnum, sed commodum ad egregia inuenta afferunt: tum uerò & mathematicas. Desunt uerò multa atque præclara quæ maximam utilitatem humano generi afferre possunt, in his, si mihi auscultabis, non in cōtentionibus uersaberis.
tum

rum tibi maiorem gloriam apud eruditos præcipuè magisq́ perēnem cōparabis, deoq́ si non fallor, gratus eris. hoc enim est talenta multa nō abscondisse. Sed si hoc tibi consiliū prębeo, quali mihi præstat uti? an ego in me probabo quę in te reprehendam? absit. Itaq́ nisi tua causa esset, ab hoc munere libenter abstinerem. Sed amicitiæ nō parum, officijs uerò erga me tuis longè plus condonandum censeo. Mos tibi geratur. Sed uideo quid dices, Galenus & ipse multa aduersus contentiosos scripsit: Fuchsius etiam, tum alij. Sed Galeno nihil illa profuerunt, imò multa eius utilia monumenta solū ob id interiêre. ipse uerò logijatros uocatus: nec forsan immeritò, homo enim fuit, nullus homo labe caret. Quid Fuchsius egerit hac in parte non curo. Vnum est inclytorum uirorum uitia non esse imitanda sed uirtutes. uitia autem etiā si in Deo (quod nephas est dicere, ille mihi qui

ſolus ignoſcere poteſt, quíque animum meum nouit ſolus parcat) eſſe poſſent, uirtutes non eſſent. Nulla enim maior eſt contrarietas quàm uirtutis & uitij. Quo fit ut etiam opus tuum quod mihi mittere uelle dicis antequam typis excudatur, hoc ſolo nomine ſuſpectum habeam: quaſi gloriæ excellentis uiri uidearis inuidere. illud maius accedit quod ſi probauero, uidebor quaſi huius cœpti autor, à quo maximè non ſolum abſum, ſed plurimum natura abhorreo. & tamen ſcio pugnabis acerrimè contra hominem. laudo uigilias tuas, ingenium & eruditionem ſuſpicio, propoſitum contradicendi à natura mea ualde eſt alienum, tum maximè de bonis literis benemerito. Conſidera mi Thaddæe, quàm pauci nunc ſint bonarum literarum ſtudioſi, & longè pauciores qui faueant illis. Multum igitur debere nos ſentimus Fuchſio, qui etiam præter eruditionem

Fuchſius.

lepô-

epôrem addidit & breuitatem, ut ui-
ientium ſcripta cum uoluptate le-
gi cœperint. Laudarem Manardum Manardus.
n hoc genere, niſi omnia uir ille mi-
cuiſſet magno artis damno . hic ue-
ò non abhorret à recta medendi uia
n qua & methodum ſcripſit . at er-
rauit in quibuſdam , ſit ita , quan-
doquidem neſciam nec in quibus
nec quomodo accuſetur à te. Quis
eſt mortalium ſine errore? ego patiar
ſi quæ errata in poſterioribus æditio-
nibus inueneris , nam in prioribus
ſcio multa eſſe, libenter corrigi. Paſ-
ſus eſt ſe Petrus corrigi princeps apo-
ſtolorum, ego obnitar ueritati impu-
dens? abſit. Itaque mitius cum illo a-
ges, atque ego, ſi modo ita uis ut in-
ſpiciam, quæcunque illius ſcripta
ſunt ad meliorem ſenſum traham.
Quòd ſi ille non patietur, tuum fu-
iſſe inuentum ſciet, non meum. Ego
nihil niſi ad concordiã inter uos per-
miſcebo. Mallem ut uideat certamen

ob ueritatis inquisitionem, quàm iurgium aut contentio aliqua. Speciem habeant auctarij cuiusdam ad rem literariam, non rixæ, aut maledicentię, aut odij uel liuoris: quãquam ab hoc plurimum te abesse putem. Dices ille Maledixit Montuo, Auicennæ, Mesue, Brasauolo: iam dixi uitia clarorum uirorum non esse imitanda sed uirtutes. Habet linguam latinam satis politam, græcas literas callet, breuis est & minimè nugax, & clarus ac ordinatus, Galeni libros sæpius reuoluit, multam habet simplicium medicamentorum cognitionem, multa scripsit, docet libenter quæ nouit, laboriosus homo certè & eruditus. Eos ne imitaberis qui uestem ornatissimã ac preciosam intuentes, nihil inspiciunt nisi maculam paruam, in eam solum omni relicto decore oculos con ijciunt? Deinde non sunt ingenia sua ut Italica. Germanus est, ferocius insurgit forsan quàm par est, tu uis illũ imi-

nitari in uno uitio? non. uis ulcisci,
eque te, neque me læsit. nec forsan
ua improbabit cũ uiderit. habet mul
os hostes à quibus se tueatur, Corna
ium, Matthiolum, atque alios. Itaq;
pero multa & præclara de te, aueoq;
quàm primum librum tuum uidere.
go non emendabo, sed discam no-
ua. omnes. n. omnia sciunt, non unus
omnia. maiorq; est mihi longè uolu-
ptas in discendo, quàm in ostentatio
ne. Quid enim ego potero in alia mes
se diutiusq; à nobis excussa. rescribã
tamen quoniam ita uis quæ mihi qua
si per transennam occurrent. Sed de
his satis, ad rem reuertor. Scribis con
tendisse te cum Cigalino, ego homi- Cigalinus.
nem illũ non noui, magisq; inter me-
dicos egregios, ut intelligo, quàm il-
los qui eruditione inclaruerint, recẽ-
sendum puto. Nam neq; quicquam
scripsit quod emiserit, nec professus
est publicè, nec uertit quicquam, nec
tamẽ quin id, aut ea omnia facere po-

tuerit nego. Sed ut Philoſophus ait nó coronanť in olympicis qui uincere potuerunt, ſed qui uicerunt. omittam igitur de ſententia hominis mortui quicquam dicere, quoniam inuidioſum & abſque propoſito uideretur. Claros uiros quidam dum recenſet odones numerat atq; alios incognitos homines. Ego noſtra tempeſtate Fuchſium, Cornarium & Braſauolum audeo ex ſcriptis claros nominare, quorum ſcripta plura paſſimq; leguntť. Curtium niſi audiſſem non auderem his adnumerare. Montanum inter celebres eſſe aiunt, nó nego, non tamen poſſum affirmare. Scripſiſſe quædam dicunt, ſi exibunt & probabuntur laude dignus eſt. Quod uidi ut ex ungue leonem, opuſculum, ingenium acre & iudicium oſtendit, eruditionem nullam. neq; locus poſtulabat aut admittebat. Et hæc de medicis, nam in philoſophia & alijs artib⁹ multos fortaſſe quis proferet.

Cornarius Braſauol⁹.

Curtius.

Montanus

Hæc

Hæc uolui ſubiecisse quod nemo autori tate tui iudicis moueatur. deinde quod non probem quaſi de litibus agatur & re pecuniaria, hæc iudicia commit ti uiris niſi famoſiſsimis, uelut Regio medico Syluio, uel Pharnelio, uel eru dito atque probato ueluti ex tribus his quos nuper nominaui, aut qui utranque gloriam ſit aſſecutus, uelut Vueſſalio. Quæ enim temeritas eſt iudiciũ ſalutis humanæ uni uiro penè ignoto committere? Sed fuerit ille eruditiſsimus, imò ne uni aliorum tantùm tale iudicium eſt committendum. At dicas, quid fiet, relinquatur indiſcuſſum. præſtat errare in parte quàm in omnibus. plurimi authoritate uirorum plus mouentur, quàm ratione. Itaque ne meam ſententiam tanquam certam expoſcas, ſed ut teſtem in tanto negotio. Senatus ſuper unius pauperculi uita pluribus diebus diſputat, quẽ ſontẽ tamen eſſe conſtat, nos iudicium proferemus quo multi

Syluius. Pharnelius Vueſſalius.

insontes & clari uiri periclitabuntur?

Ergo quæstio talis est: An in omni morbo laterali oxymel conueniat? Primũ præsuppono, quòd non in om-
Tex. 1. nibus morbis acutis, tertio de uictu in acutis, quia non diceret quibus dan-
Tex. 24. dum, & quibus non: & infrà sæpius,
Tex. 32. non dicit semper. & infrà adhuc docet quibus non conuenit, scilicet his qui erosionem habent in intestinis: ex quo colligo ibi secundum, scilicet ꝙ oxymel non in omni morbo laterali conuenit: patet, quia non ei cui iungitur erosio intestinorũ ut ibidem colligitur, hoc autem est ratione coniuncti. Tertium, neq; in omni morbo laterali simplici, quia non in mortali, dicente Galeno, quòd quicquid scripsit Hippocrates, de seruandis scripsit, recordãtibus nobis quòd deplo-
Com. 29. ratos curare non oportet secunda Aphor. Quartum neque semper, quia
Tex. 36. Hippocrates tertio de uictu in acutis,

pro-

prohibet cum nihil expuitur, hoc aũt est, cum est initium morbi, & per totum fermè augmentum, ideo dicit, ꝙ cum non sorbitione ptisanæ, sed solo potu utuntur, oxymel non conuenit, Galenus non intelligit de ratione tẽporis, sed usus atq; erroris eorum qui toto morbi tempore abstinebãt à ptisana. Hoc innixus fundamento quod Tex. 37.
in sequenti sectione dicat Hippocrates, quibus igitur toto morbi tempore oxymel conuenire existimaueris? Igitur Hippocrates uidetur uelle ꝙ conueniat in omni tempore. Sed non est ita, Galenusq;, seruata tanti uiri authoritate, hic non intellexit Hippocratem. Hippocrates enim nobis insinuat quòd cum solo potu utendum est, non conuenit oxymel, tum quia posit excitare tussim cum nihil expui posit, tũ quia tormina, quę postmodum comitantur, frigus extremorũ, & uirium imbecillitas. Vult ergo Tex. 38.
quòd in quibusdã morbis toto tem-

pore conuenire posſit uel ratione naturæ, uel ætatis, uel uirium. Sed neque
Tex. 26. omne oxymel, & hoc eſt quintum: nã
acre neque conuenit in difficili ſputo
Tex. 28. cum uirtus fuerit imbecillis maximè:
nec melancholicis, quia efferueſcere
Tex. 38. facit melancholiam acetum: nec mulieribus, quia uteri dolorem prouo-
Tex. 39. cat, iuxta Hippocratis ſententiam eo loco.

Quæſitum igitur hoc modo reſtringi debet: An in omni morbo laterali, ſalubri, ſimplici, oxymel moderatum, à tempore initij maturationis uſq; in finem conueniat? Pro quo ſcire oportet primum naturã oxymelitis quod eſt temperatum neque excalefacit, nec refrigerat, octauo artis curatiuæ.
Cap. 4. Secundò lenit ratione mellis pectus
Tex. 30. ipſum, tertio de uictu in acutis. Tertiò diſſecat, ut ibidem docetur aceti ſcilicet ratione. an uerò nutriat, & eſt
Tract. 1. quarta utilitas, declaratum eſt à no-
Cont. 17. bis in tertio contradicentium. In

morbo

morbo igitur laterali cum cõponatur ex febre & abſceſſu, requiruntur quæ non calefaciant: nam mulſa calefacit euidenter, undecimo artis curatiuæ: oxymel autem non, ut dictum eſt. Hac igitur prima ratione conuenit. Secundò requiritur ut ſputum poſsit facilè educi, hoc autem ſimpliciter pendet ex lenitate partium pectoris, ſed & hoc ut declaratum eſt, præſtat oxymel. Lenit enim pectus. igitur hac ſecunda ratione conuenit. Tertiũ de quo proprie dubitabat empiricus ille, ut tu dicis, eſt utrũ diſſecando ſemper proſit. Nam cum ſemper morbus lateralis à bilioſo humore fiat, ut etiam Aetius in octauo libro docet, nõ uidetur hic huiuſmodi lentus, quare neq; diſſectione indigere. Ex quo Cigalinus ille, ut dici ſolet, toto cœlo aberrare uiſus eſt, q illud cõuenire, ut dicis, in prima eius epiſtola, exiſtimauit, quando lateralis morbus ex pituita oriatur: cũ talis morb9

Cap. 11.

Cap. 68.

minimè sit lateralis, sed laterali similis, quod etiam sentire uisus est Auicenna. De uero igitur laterali morbo qui à bilioso sanguine fit, sermo sit. primum præsuppono quòd de salubri morbo laterali loquamur, ut dictum est, in quo sputum debet, inquit Hippocrates, esse admodum permixtum ex bile flaua, dicit Galenus & pi
Com. & Tex. 44. tuita secundo prognosticorum. Permixtio autem fit aut cum est lentoris maximi aut cum pituita excoquitur
Com. 53. quarta aphorismorum. sed & pituita per se lenta est, in hocq; quasi ab hu-
Cap. 6. more crudo distinguitur. Galenus octauo de decretis, & sumptũ est ex
Tex. 32. primo de humana natura, pituita omnium humorum est maximè uiscida. Aduritur autem & à bile, ut dictum est, & à calore febris, & per se talis est, ut indigeat manifestè dissecantibus.
Cap. 6. Pus etiam optimum primo de differentijs febrium, nonne crassum & cõsistens esse debet? quod uerò consistit
len-

lentum eſt neceſſario, & ob lentorem igitur, & ob craſsitiem puris oxymel conuenit. Nec mirum ob id Eraſiſtratum exiſtimaſſe aut uocaſſe humorem crudum pus, ſcilicet quòd lentore & colore ac craſsitie ei ſimilis eſſet. Qui igitur citra affectum hæc cogitat, facilè intelligit, cum morbus lateralis ſputum efficit & concoquitur, oxymellis uſum natura mediocris utilé eſſe. Plura ſcripſiſſem de hoc, ſi ꝑ negocia liceret: ſed in re tam perſpicua maiore commentario opus non eſt. Vale, Mediolani IIII. Idus Augusti.

THADDAEVS DVNVS MEDICUS, *Medicorum longè eruditiſsimo D. Hieronymo Cardano, profeſſori publico,* S. D.

Epiſt. IX.

PERGRATAE mihi fuêre literæ tuæ duobus potißimum nominibus, præceptor mi, tum quòd quanti me facias luculenter ostendant, tum uerò quòd sententiam meam de oxymelite corroborẽt. Habeo tibi gratias immortales, ꝙ dignatus sis mea causa tantũ laboris suscipere. Debebam tibi aliâs non parum, nunc debeo longè plus, adeò ut nũquam futurus sim soluendo. Literis tuis respondissem citius, si per negotia licuisset. nũc cũ aliquantulũ ocij sim nactus propter integram qua fruuntur homines ualetudinem, (non enim opus est medico benè ualentibus, nisi ad sanitatem tuẽdã) paucis respõdeo. Scribis satis prolixè aduersus empiricos, aduersus inquam, nebulones artis inimicos, rectè facis, digni enim sunt qui ab omnibus rideantur, imò qui ex hominum commercio tollantur, ne impunè tot homines iugulent. Verùm non oportet sæpius in refellendis illorũ nugis pretiosum

tiosum tempus terere, satis est artẽ ab illata iniuria ac contumelia uindicare, missos itaq; hos faciamus.

CARDANVS.

Quandoquidem iam tu multo spatio ꝓcesseris in arte, calleasq; linguas.

DVNVS.

Suades, quantum intelligo, ut relicta praxi cõferã me ad legendũ, ut nebulonũ istorũ contentiones fugiam. Præclara sanè res est legendi docendí ue munus: uerùm longius ego absum ab hoc proposito, quàm tu à proposito cõtradicendi, à quo tamen dicis te longissimè abesse. Abhorreo uerò ab officio legendi pluribꝰ de causis, quas singulas nũc nihil opus est recensere. Neq; ego sum ita gloriæ cupidꝰ, ut ob hanc uelim relicta actione ad cõtemplationẽ me cõferre. Prætera (qđ plurimũ refert) ego non sum præditus ea eruditione, ea eloquentia, ea dicendi copia, quæ in tanto doctore requirit.

Non possumus omnes peruenire ad eum gradum. Ego non despero, sicuti Galenus, ut scribis, quia huiuscemodi contentiones, & rixas iam olim ferre assueui: gloriolamq́; popularemq́; auram semper paruifeci. Postremò, non minorem utilitatem adferre possum hominibus medendo, quàm docendo: nec magis à contentionibus liber ero legẽdo, quàm medendo: scio nanq; quot quantæq́; contentiones, & lites, & inimicitiæ oriantur inter lectores. Proinde præstat ut cœpi pergere, quàm propositum mutare. ago tamẽ tibi multas gratias, quòd me tali munere dignum censueris.

CARDANVS.

Considera mi Thaddæe, quàm pauci nunc sint bonarum literarum studiosi, & longè pauciores qui faueant illis. Multum igitur debere nos sentimus Fuchsio, qui etiã præter eruditionem lepôrem addidit & breuitatem,

ut uiuentium ſcripta cum uoluptate legi cœperint.

DVNVS.

Plurimum honoris defers Fuchſio, plurimumq́ꝫ illi faues, nec immerito, laude enim cumulatiſsima dignus eſt. Ego enim (tametſi libros de illius erroribus ſcripſerim) Fuchſium ſemper magnifeci: imò neſcio an alius quiſquam ita fuerit unquã addictus Fuchſio atqꝫ ego. Vnde & Fuchſijſtã me appellitabas cum iſthic, te præceptore, arti operam darem. Quocirca etiam in opere meo aduerſus illum ſcripto, ita ſcribo: Inter eos autem qui Galeni methodum de uenæſectione ſatis rectè aſſecuti ſunt, conſpicuus eſt noſter Fuchſius (nemo fraudandus eſt ſua laude) qui multis in locis hac de re copioſiſsimè diſſeruit, ut in apologia aduerſus Hieremiã Bracheliũ lib. 2. paradox. lib. 6. Epid. Et in medicinali compẽdio, tum in commentarijs in librũ Galeni de curatione perſan-

Fuchſius. Cap. 4. Par. 6. Com. 7. Cap. 20.

guinis misſionem. His enim omnibus in locis mentem ea de re ſatis benè, ut multa alia expreſsit. quare optarim ſtudioſos omnes eo in pretio habere Fuchſianos labores, quo ego habeo. licet. n. hæc contra illũ ſcribere ſim aggreſſus ueritatis ſtudio ductus, attamẽ ſentio incredibilẽ utilitatẽ ex illi• librorum lectione. Feri. n. non poteſt quin in tot libris multa ſcripta ſint tã to medico digna. imò dici haud facilè poteſt, quantũ luminis arti medicę attulerit. Vides itaq;, præceptor mi chariſsime, me Fuchſiũ multũ uenerari, ut intelligas me nõ liuore, nõ maleuolẽtia, nõ ſtudio maledicendi, non aucupandę gloriæ gratia, non quod glorię excellentis uiri inuideam, in harenam deſcendiſſe, ſed tantũmodo ueritatis amore. Proinde nõ eſt quod ſuſpectũ habeas opus meum, niſi ſuſpectum habeas pro ueritate certamẽ. Cum ad te miſero librũ meũ, cognoſces non eſſe paucos, neq; leues errores quos ego

Libri aduerſus Fuchſium.

in

in Fuchſio deprehendi: nec tamen ne go uirum excellentiſsimũ eſſe. nemo mortaliũ omni ex parte abſolutus eſt. Abſolui libros tres quos breui emittã, ſi Domino placuerit. utinã uerò ex ijs tantum utilitatis capiant ſtudioſi, quantum ego laboris tuli in conſcribendis ipſis. Miſſum etiam faciamus Fuchſium hoc loco.

CARDANVS.

Laudarem Manardum in hoc genere, niſi omnia uir ille miſcuiſſet magno artis damno.

DVNVS.

Quantum honoris Fuchſio defers meritò, tantundem immerito ſubtrahis Manardo. Quis .n. ex doctiſsimis medicis eſt, qui Manardũ non ueneretur & colat? quis eſt qui non fateatur illum de arte optimè meritum eſſe? Sanè inter alios Fuchſius tuus & meus paſsim in libris ſuis de Manardo optimè ſentit, nam etiam ex ipſo multa præclara ſumpſit, quocirca in Manardus.

apologia contra Puteanum Fuchſius hæc habet. Quare debuiſſet de Manardo, uiro doctiſsimo & de re medica optimè merito, atq; me, paulo modeſtius pronunciare, quàm ut nobis totam methodi quæ ſimplicium medicamentorum facultates noſſe docet, notitiam adimeret. Quid Manardus in ea potuerit, docti omnes nouêre. Et in fine eiuſdem apologiæ: Et quod in hunc diſceptandi campum non alia niſi famæ aut nominis, laceſſendis ſugillandisq; bonorũ ac doctiſsimorum uirorum, Manardi potiſsimum iam mortui, & de re medica non malè meriti, monumẽtis, aucupandi gratia deſcẽderit. Item libro ſexto Epid.

Par 6. Com. 6.

Mirum autem (inquit) qua frõte Manardi epiſtolas medicinales tanquam parum eruditas & nihil commodi ſuis lectoribus afferentes notare auſus fuerit, cum una duntaxat interdum epiſtola plus ſolidioris doctrinæ habeat, quàm uel centum Montagnanæ

illi

illi collatæ, habere queant. Hæc Fuchsius. Syluius uerò, quem tu regiũ medicum uocas, in ea epistola quæ suo eleganti ac polito Mesuæ præfixa est, scribit: An quæso Manardus ætate nostra medicus longè doctissimus, obscuram & sordidã Mesuæ uersionem uerius quàm Mesuen emaculare alicubi, passim clariorem reddere tentasset, nisi eximium aliquem illũ scriptoré existimasset? quid maiora pro Manardo canam? obiter hoc addã, quòd cum scribas propositũ contradicendi à natura tua esse alienum, in libris tamen tuis cótradicentium medicorum multoties Manardo cõtradicis, atq; quodammodo (parce mihi) extinctum cupis. cum tamen eius uiri scripta longè sint utilissima.

Syluij Mesues.

CARDANVS.

Scribis contendisse te cum Cigalino, ego hominem illum non noui magisq; inter medicos egregios, ut intel

ligo, quàm illos qui eruditione inclaruerint recenſendum puto. & infrà. Quæ enim temeritas eſt iudicium ſalutis humanæ uni uiro penè ignoto committere?

DVNVS.

Scias me nihil temerè feciſſe. Primum enim ego ſiue illi, ſiue tibi, ſiue alteri cuicunq; tale iudicium ita committo, ut integrũ mihi ſemper eſſe putem reſpondere ſi minus mihi ſatisfactũ fuerit quàm ſperauerim, & nouos iudices deligere: quoad ueritas eluceſcat. Itaq; literis D. Cigalini ad me datis ſemper reſpódi, & tuis nunc reſpódeo. Præterea quoniam Cigalinũ ego non noueram niſi celebri fama, cautius hoc iudiciũ illi cómiſi, ideoq; in exordio primæ epiſtolæ quam ei miſi, in hunc modum ſcripſi. Ego protuli Hippocratem & Galenũ, quorũ autoritates ipſe audire noluit, ſed dixit ſe libenter ſubiturum iudicium tuum

Cigalinus.

hac

hac in re, utrum ſcilicet in pleuritide conueniat oxymel, an ſecus? Ego uerò nihil reſpui, præcipuè quòd intelligam te in Græca atq; adeo uera puraq; medicina conſummatiſsimum. Talem autem eſſe Cigalinum qualem fama referebat, cognoui ex illi9 ad me datis epiſtolis. linguã utranq; pulchrè callebat, in arte plurimum uerſatus erat, ingenio pollebat, & multa eruditione præſtabat. ego Cigalini memor ero quãdiu uiuam, & mortuũ ſemper exoſculabor. ergo non temerè, quod ſcribis, tale iudicium ei uiro commiſſum fuit: & ut uerum fatear ingenuè, non admodum malè ſentit, alias enim literas accepi poſtquam ad te ſcripſi.

CARDANVS.

Ergo quæſtio talis eſt: an in omni morbo laterali oxymel conueniat?

DVNVS.

Quæſtio quæ habet̃ in epiſtola ad

te miſſa, non ita ſonat, ùt ſcribis, ſed hoc pòtius pacto. Conueníť ne oxymeli pleuriticis ijs, quibus humores bilioſi cauſa morbi exiſtunt? Non enim pleuritis quælibet à bilioſis humoribus fit: ſed alia quidem à bilioſis, alia uerò à pituitoſis, alia autem à melancholicis, alia demum à ſanguineis, ut infra patebit. Quia uerò Cigalinus ſolùm in hoc à mea ſententia deflectebat, quòd diceret oxymeli bilioſis pleuriticis cauſa conſiderata non conuenire, ideò quærebam abs te, an in dicta pleuritide propinari deberet, nulla habita mentione cauſæ, neque ſymptomatum. In prima diſceptatione contra empiricum illũ, Zoium, contendebam oxymeli ſalubre eſſe pleuritico, ſine diſtinctione cauſæ uel ſymptomatum, quia ipſe abſolutè dicebat medicamentũ id in morbo laterali dandum nequaquam eſſe. Cigalinus uerò affirmauit quidem cõuenire (& ita Zoij abſurdam ſenten-
tiam

tiam ſuſtulit) ſed cœpit diſtinguere cauſas à ſymptomatibus,& cauſam à cauſa.itaq; ratione ſymptomatum dari poſſe in omni pleuritide,ratione uerò cauſæ non item: ſed ſolummodo in pituitoſa pleuritide.de melancholicis & ſanguineis neuter noſtrũ mentionem fecit.Quãquam autem quod ego ab initio quærebã iã ſatis demonſtratum eſſet in primis epiſtolis,exercitij tamen gratia ulterius ego proceſſi, oſtendiq; luculentiſsimè oxymeli conuenire in pleuritide bilioſa tum ratione ſymptomatum, tum ratione cauſæ.Hic uerò te etiam ad hoc negocium elegi,ut partem laboris huius ſuſciperes:qui pro me pulchrè quidem iudicas,ſed tamen quædã ſcribis quæ auribus meis aliquantulum infeſta ſunt, quibus oportet, ſalua pace,reſpondere. Ego enim non hoc ſolum quæro quod aliquis in meam ſententiam deſcẽdat,ſed etiam ut cum ratione id faciat.

Quæſitum igitur hoc modo reſtringi debet. An in omni morbo laterali, ſalubri, ſimplici, oxymel moderatum, à tempore initij maturationis uſq; in finem conueniat?

DVNVS.

Quæſitum non debet eo modo reſtringi, particulæ enim iſtæ omnes: omni, ſalubri, ſimplici, oxymel moderatum, à tempore initij maturationis uſque in finem, ſuperuacaneæ ſunt, quanquam ultima particula alicuius ſit conſiderationis. Primum enim dictum iam eſt antea me ſolummodo quærere, an in bilioſa pleuritide. Licet tu particulam, omni, adieceris nó quod ſubintelligas omnes cauſas (unam enim duntaxat lateralis morbi cauſam ſtatuis) ſed quòd eam cum alia particula, ſimplici, coniungas. Secundò, cũ loquamur de curandi modo, cúmque curemus ſolos ſalubres morbos,

morbos,postquam ita uis,iuxta autoritatem productam secunda aphoris. quorsum addere salubri? Tertiò, cum erosio intestinorum non sit symptoma pleuriticorū,sed alia affectio quæ quibusdam pleuriticis accidit:cumq; nihil omnino negocij habeat cū pleuritide,nihil opus est addere, simplici. hic nanq; quęrimus,an oxymeli conferat pleuritico quatenus est pleuriticus. Non omnibus autem pleuriticis accidit erosio intestinorum. Quartò cū simpliciter oxymeli dicim9,mediocre intelligimus, siue id qđ Galenus cōponit li. 4. sanitatis tuēdę,ex parte una aceti, mellis optimi partib9 duabus,aquæ fontis partibus quatuor,simul coctis ad tertiam,uel quartā,qđ quidem moderatum euadit. Quintū uerò uidet̄ quidē aliquid difficultatis habere,tamen arbitror & id corrigendum esse, tametsi subtiliter abs te cōsideratū sit. Scribis Hippocratē prohibere oxymelitis usum,tertio de uictu

Com. 29.

Oxymelitis compositio.

Tex.36. in acutis, cum nihil expuitur, & id esse cũ adhuc est morbi initium, & pars augmenti. Sed ego hęc in Hippocrate non inuenio, textus enim citatus ita habet: Qui autem non sorbitionibus sed potione sola utuntur, his non semper oxymelite uti expedit, præsertímque quòd intestina abradantur, fatiscantq; & succumbant, & quæ sequũtur. Hoc loco Hippocrates nó dicit, abstinendum esse ab oxymelite cum nihil expuitur, sed dicit, non semper dandum esse oxymeli his qui sola utũtur potione. quid autem sit illud, non semper, Galenus paulò clarius docet, inquiens: ijs non per totum morbum est conueniens oxymeli. Sed neq; Galenus satis clarè id docuit, non enim dicit quo tempore morbi satius sit ab oxymelite temperare, aut quomodo intermittendum sit. Subdis Galenum non intellexisse Hippocratem, & ut in pauca rem contraham, contendis non esse dandum oxymeli in prin-

principio morbi, & per totum fermè augmentum. Sed in contrarium eſt autoritas Hippocratis & Galeni euidentiſsima, tum in tertio, tum in primo de uictu in acutis, ubi Galenus nō procul à fine commenti ſcribit. Cum igitur uirtus ad morbi uſq; iudicationem ſine ptiſanæ ſorbitione ſuffecerit, oxymeli & aqua mulſa ſatis ſunt: oxymeli quidem uim medicamenti ſolam habens, aqua mulſa uerò cibi pauci & imbecilli. ecce quòd Galenus oxymeli dat ab initio morbi uſq; ad iudicationem ijs qui ualidis ſunt uiribus, hoc eſt, ijs qui non indigent ſorbitione ptiſanæ. ijs uerò qui uiribus ſunt imbecillioribus, exhibet & oxymeli & ptiſanę ſorbitionem, illud quidem pro medicamento: hanc uerò ꝓ cibo & medicamento ſimul. Niſi hæc quæ adduxi ſufficerent, adderē aliquot rationes, ſed uideo non opus eſſe prolixiori demonſtratione.

Tex. & Com. 37.

Com. 44.

CARDANVS.

An uerò nutriat, & eſt quarta utilitas, declaratum eſt à nobis in tertio contradicentium.

DVNVS.

Quid in eo libro ſcripſeris ego nõdum uidi: ꝙ nihil nutriat credo, propter autoritatẽ Galeni lib. 1. de uictu
Com. 44. in acutis, ſcribit enim: Chõdrus ergo pleuritico cibus tantùm exiſtit, oxymeli uerò medicamẽtũ. & paulò poſt, oxymeli quidẽ uim medicamenti ſolam habens, &c.

CARDANVS.

Ex quo Cigalinus ille, ut dici ſolet, toto cœlo aberrare uiſus eſt, qui illud conuenire, ut dicis, in prima eius epiſtola exiſtimauit, quãdo lateralis morbus ex pituita oriatur: cũ talis morbꝰ minimè ſit lateralis, ſed laterali ſimilis quod etiã ſentire uiſus eſt Aicenna.

DVNVS.

Si neglecto Galeno uis adhærere AEtio

AEtio & Auicennæ, sanè ego te non sequar. Pluris enim ego facio Galeni librum unum, quàm totum chaos Auicēnæ, aut Quaterniones AEtij. Itaque, pace tua dictū sit, Cigalinus non aberrat hoc loco, ut clarissimis autoritatibus manifestum faciam. Galenus sectione sexta aphor. scribit: Ob hanc igitur causam quibus pituita natura superabundat, raro à morbo laterali corripiuntur: ergo aliquando. & in libro de constitutione artis medicæ: Si uerò pituitosus primùm humor incuneatus putrefactusq́ autor fluxus eius existat qui phlegmonem commisit, tunc spumosa expuunt. & rursus libro quinto de affectis locis: Effusa autem (inquit) in spacium thoracis sanies, in asperas pulmonis arterias recipitur, deinde tussiendo excreatur, qualis sit qui inflammationem fecit humor declarans, an uidelicet biliosus, aut melancholicus, aut pituitosus, aut cruent⁹. Etenim si bilis

Com. 33.

Cap. 2.

abundat, pallidum aut flauum: si atra bilis, nigrum: si pituita, spumosum & candicans: si sanguis, rubrum sputum reijcitur. hactenus apologia Cigalini. rarò tamen pleuritim à pituitoso humore fieri, in alijs epistolis diximus Cigalinus & ego.

CARDANVS.

Primum præsuppono quòd de salubri morbo laterali loquamur, ut dictum est, in quo sputum debet, inquit Hippocrates, esse admodum permixtum ex bile flaua, dicit Galenus, & pituita, secundo prognosticorum.

DVNVS.

Com. 44. Galenus secũdo prognosticorum, cõmento assignato, nõ dicit sputum debere esse permistum ex bile flaua & pituita. Sed dicit cum Hippocrate: appareat flaua bilis permista admodum screatione. Scribit quidem hæc: Vomitio utilissima est, si pituita ac bile per-

permiſta maximè eſt. Sed aliud eſt uomitio, aliud pleuriticorum ſputum. adduxit autem ea uerba Galenus, ut doceret uerbum, admodum, idem ualere quod, maximè. Clarior expoſitio illius ſententiæ Hippocratis habetur Cap. 5. libro primo de criſibus, ubi Galenus ait: tum quod ex utriſq; commiſtum eſt, colore ſcilicet ſputi naturalis & flauo, uel ruffo, non tamen uehementer. & infrà: Impermiſtum eſt autem id quod ſputo nõ commiſcetur. Sputum ergo pleuriticorum debet eſſe commiſtum ex naturali ſputo, & flaua bile. Hæc mihi nunc in mentem uenêre, præceptor mi, tuarum partium eſt ea boni conſulere, eoq; animo legere, quo ſcripta ſunt. Vale, Aſsij. Calendis Octobris.

1551.

APPENDIX.

De eo quod D. Cigalinus scripsit in posteriori sua epistola: Græcos interdum medicamento inspissante uti, & Galenum diacodion exhibere.

NOn abs re fortasse fuerit aliquid de medicamento quod ex capitibus papaueris (Græci diacodió uocant) conficitur præcedentibus adijcere, præcipuè cum D. Cigalinus in posteriori sua epistola eius medicamenti meminerit, nos uerò in responsione nihil de eo annotauerimus. Scripsit ille, quòd si Auicennæ credimus, Galenus in principio pleuritidis exhibebat diacodion ad hoc ut fluxum humorum impediret. Atqui ego duobus potissimum nominibus id Auicennæ non credo, tum quia mos est Auicennæ subinde mentiri, tum uerò quia apertè pugnat cum dogmatibus Galeni, quia in pleu-

pleuritide ipſe incraſſantia nūquam propinauit, tametſi humores tenues cauſa ſint morbi. At ſi dixeris pleraſque arteriacas confectiones quas Galenus laudat uim habere incraſſandi, & maximè diacodion, quod ipſemet propinat: reſpondeo utique hoc uerum eſſe, ſed nihil ad rem præſentem. Lib 7. cōp. med. ſ. locos. Nos enim agimus de pleuritide in qua Galenus medicamentum id non dat. Vnde & in hunc modum de eius uſu ſcripſit. Vſus eius eſt in his Eodem loco. qui ſomno opus habent, quibus etiam ex opio conſtantia ſæpe exhibere cogimur. Opus habent maximè huiuſmodi pharmacis hi, quibus tenuis fluxus à capite ad aſperam arteriam deſtillat, non permittens dormire ob conſequentem tuſſim. Eiuſdem ſententiæ eſt Meſues, qui hoc pacto ſcriptum reliquit. Lib. 3. Sect. 3. Diacodion GALENI ſimplex catarrhum à cerebro in pulmones tenuem, & inde natam tuſsim, & inſom-

Lib. 7. niam iuuat. Item Paulus AEgineta qui ita habet. Vtere in his qui febre oppreſsi uigilijs infeſtantur, & quando ex capite tenuis in thoracem deſtillat fluxio. Ecce illuſtrium medicorum ſententiam de uſu illius medicamenti. Vnanimiter enim cenſent illo utendum eſſe, cum tenuis humor è capite in thoracem fluit & multam tuſſim excitat: itemq́ꝫ cum ſomnum conciliare opus eſt. In his itaqꝫ affectibus ſolum Græci eiuſmodi medicamentis utuntur, & nullo modo in pleuritide. quanquam à tenuibus, ſiue biliosis humoribus fiat, de quibus eſt diſceptatio. Quòd ſi colligas hoc modo: Paulus ſcribit dandum eſſe medicamentum diacodion his qui febre oppreſsi dormire nequeunt: Igitur dandum erit pleuriticis, quia acuta febre opprimuntur, & ſæpenumero uigilijs nimijs moleſtantur. Reſpondeo hoc argumentum nequaquam inualidum eſſe præſertim apud eundem Paulum,
nam

nam lib.3.cap.de pleuritide, diacodi Cap.33.
on laudat, cum uigiliæ molestæ sunt.
ita scribens: Quos autem uigiliæ torquent, eos medicamentum è papauerum capitibus delingere competit. Vbi notandum est inprimis, quòd exhibere id non liceat nisi magno cum iudicio, & necessitate cogente. ubi enim ob nimias uigilias dubitamus ne laborantis uires deficiant, moderatũ eius medicamenti pondus dari poterit, ut per consequentem somnum uirtus robur acquirat. licet sæpenumero satis abunde sit tempora unguento, quod populeon uocãt, inungere, aut oleo quod ex nymphæa paratur: tutiora enim multo sunt talia medicamenta extrinsecus admota ijs quæ assumuntur: præcipuè in pleuritide, in qua diacodion ego nunquam dedi, cum tamen quamplurimos pleuriticos præ manibus habuerim, atque à morbo uindicarim. Deinde sciẽdum est, quòd Paulus diacodion pleuriti-

cis propinat ad conciliandũ somnũ, non ad incrassandos biliosos humores, iccirco solummodo in hunc modum scripsit: Quos autem uigiliæ torquent, eos medicamentum è papauerum capitibus delingere competit. In uniuersum itaque sciendum est, Græcos incrassantibus medicamentis usos fuisse nunquam, nisi cum tenuis è capite fluxio sistenda esset, aut humores in pulmone contenti, propter nimiam tenuitatem expulsioni ineptiores, crassificandi.

THADDAEVS DVNVS MEdicus, D. Ioanni Paulo Turriano medico clarissimo, S. D. P.

Epist. X.

CVM nobilis uir quidam me ad uisendam uxorem suam quæ de do-

dolore quodam digitorum conquerebatur, uocasset: audio ex ipsa continuum ferè dolorem molestare indicem maximè dextræ manus, & minimum digitum sinistræ. uideo uerò ipsa tacente in iam dictis digitis tumoris aliquantulum. Refert præterea subitò nonnunquam dolorem sinistrum genu inuadere: coxendices uerò, aut pedes nunquam antehac. Hic ego statim consideraui passionem hanc ad articulos haud dubiè esse referendam. Sed cum articulorum passiones duplices sint, uniuersales scilicet (morbus uocatur græcè ἀρθρῖτις, latinè propriè articularis morbus) & particulares (tunc denominationem à loco affecto morbus sortitur, proinde fit & podagra, & chiragra, & ischias, & huiusmodi particulares affectiones) præsens passio de qua agimus uniuersalis quidem non est, quia non omnes corporis articuli afficiuntur, relinquitur ut sit

particularis. ergo denominabitur à loco patiente chiragra & gonagra: uel generaliori uocabulo uulgato, podagra. hæc de morbi nomenclatura dixiſſe ſatis ſit.

His coram ipſa muliere conſideratis, uenit mihi in mentem Hippocratis aphoriſmus. 29. libri ſexti: Mulier podagra non laborat, niſi menſes defecerint. Quapropter diligenter de purgatione menſtrua eam interrogaui, & intellexi, quòd cum aliâs cum eſſet iunior (agit annum ætatis circiter trigeſimum) probè purgaretur, nunc minus probè, imò parum admodum purgatur, unde & ſterilis facta eſt: & quòd modica illa quantitas purgationis accidit cum maximo impetu, & graui perturbatione totius corporis. His non contentus, quia Galenus in commento citati aphoriſmi, ſicut etiam præcedentis, ſcribit, ſententias illas referendas ad ætatem Hippocratis quia tunc in uictu non peccabant.

Nunc

Nunc quòd aphoriſmi ueri non ſunt, quia ætas multo intemperantior eſt, & non uiri ſolùm, ſed & mulieres multum peccant per deſidiam & crapulam reliquaꝗ́ quæ podagram efficere poſſunt: ob id aſsignat Galenꝰ tres alias cauſas podagræ, ocium, crapulam, maximeꝗ́ potum uini potentioris, & uenereorũ uſum immodicum. Nã propter has cauſas mulieres multæ podagra laborant etiam menſtruis promanantibus. quare partim interrogando, partim ipſemet excogitando, uolui & de his omnibus certior eſſe. atqui (ut breuibus expediã) quãtum ad deſidiam nõ peccat, licet mos ſit mulierum præſertim nobilium ociari. de crapula etiam non poſſum illam admodũ accuſare, præſertim de potu meracioris uini. de tertia cauſa honeſtatis cauſa multa prętereo. quia tamen temperamentò paulò calidior eſt, facilè poſſet nonnihil peccare, ſed iudicio meo debitæ quantitatis men-

siũ supreſsio potiſsima ſui morbi cauſa eſt. & hæc de cauſa morbi.

Quantum attinet ad curationem, quia dixi menſium retentionem maximè cauſam eſſe morbi, ſucurrendum igitur erit ante omnia his auxilijs quę menſes adiuuant & euocant. inter cætera magnopere à Galeno in libro de curatione per ſanguinis miſsionem laudatũ uenæ poplitis, uel malleoli ſectio. Deinde cómendat tenuiſsimum pollinẽ nepitę & pulegij in melicrato uel ſi uelimus medicamẽta ualidiora, adſunt ſauina & dictamnũ: inſuper & hiera picra ab ipſo deſcripta: ſed hoc facere oportet anteuertendo tempus purgationis tribus quatuórue dieb⁹: interea uictu extenuanti præſcripto. His igitur remedijs ego ſuccurrerem primũ, deinde ubi menſes fuerint euocati, poſt aliquot dies darẽ etia aliqđ pharmacũ quod ſimul educeret pituitoſos & bilioſos humores, qui quidẽ mihi uidentũ peccare, quale eſt cóuenientiſ-

nientiſsimum in hoc caſu agaricū, aut ſi qua alia uidebuntur congrua. Quia uerò mihi retulit, ꝙ tempus purgationis eſt in ipſis Idib⁹: undecima die pręſentis menſis inciperē ſecare uenā poplitis uel malleoli dextri, q̃a hæc pars nondū dolore pertentata eſt, exhiberemq́; pulegij & nepitæ pollinē, cum modica parte ſauinæ, (dictamnū non habetur) in melicrato diebus quatuor, ordinato extenuante uictu: deinde pedetentim ad reliqua progrederer. Vale, Aſsij, nonis Iunij M.D.LIII.

IOANNES PAVLVS TVRRIanus, Thaddæo Duno præcellenti medico. S. D. P.

Epiſt. XI.

AVDIVI uir excellētiſſ. ex ijs quę ſumma cum elegantia atq; eruditione tuis literis mihi ſignificaſti, affectionem præter naturam qua nobiliſsima mulier annorum circiter xxx.

correpta eſt, dolore ſcilicet man⁹ dextræ indicem digitũ occupante, & minimum læuæ, non ſine eorum tumore, dolore interdum ſiniſtrum quoq; genu impetente, hunc morbum ſanè ἀρθριτικὸν ſeu articularium haud dubitarem nuncupare, etſi non omnes cõprehendat articulos, modo plures q̃ manuum aut pedum afficiantur particulę. ridiculum nanq; exiſtimo chiragram & gonagram dicere, quod unico uerbo apertiſsimè & planiſsimè explicare poſſumus, uidelicet articulari: quum & coxẽdicis dolor ab Aegineta dicatur eſſe de genere articularis, qui tamen unum tantùm articulũ occupat, quum dicit, τοῦ γένους οὖσα τῆς ἀρθρίτιδος ἡ ἰσχιὰς μόνῳ δὲ περὶ τὸ ἰσχίον ἐνεστηρίχθαι. Sed de nominibus parum curandum, præſertim quum ij tres morbi, podagra, arthritis, & iſchias autore Galeno in libro qui de facile parabilibus inſcribitur, & libro de compoſitione medicamentorum ſecundũ lo-

ca, unius generis ſint, ex humorum re dundantia articulum occupante, ac corporis partium imbecillitate ſuſcitati. qui humor aliquando ſanguineus exiſtit, ſæpe pituitoſus uel bilioſus, plerunq; ex pituita & bile mixtus, aut etiam cum ijs ſanguine. Sed humorũ peccantium differentiæ tribus diſcernuntur notis, colore ſcilicet, ſymptomatis, & medicamentorum quæ admouentur experientia. Quæ à colore ſumitur omnibus perſpicua eſt, quæ uerò à ſymptomatis, etſi nō omnibus ſit manifeſta, non tamen difficilis eſt cognitu: nam ſi bilioſus fuerit ſanguis multi caloris ſenſum ægrotanti præſtat, excandeſcitq; calidorum appoſitu, & mitigantibus remittitur. Nō parum quoq; conferre uidentur ad peccantium humorum cognitionem anteacta uictus ratio, exercitio aut ocio tranſacta, anni tempus, regionis conſtitutio, ætas, & corporis habitudo, quę omnia quum me hactenus hac in

muliere lateant ſilentio prætereo. Sufficit ut optimè ſcriptum eſt, quòd cauſa cenſetur eſſe mixta ex bile & pituita, quarum redundantia ex menſium defectu prouenire conijcitur, ut magna ex parte mulieribus uſu uenit. iuxta Hippocratis ſententiam ubi ita ſcriptum reliquit, γυνὴ ὀ ποδαγρίᾳ, ἢν μὴ τὰ καταμήνια αὐτῇ ἐκλείπῃ, ſuperfluitatibus ſcilicet quæ per uterum expurgari ſolebant ad imbecilliores detruſis partes, licet (ut doctiſsimè excellentia tua animaduertit) hæc ſententia tantùm Hippocratis ſeculo uerißima eſſet. noſtra uerò ætate & Galeni, propter uictus intemperantiam, minimè: uti Galenus in cõmentarijs ſuis annotauit. Initium itaq; curationis erit ab humoris noxij euacuatione, & ſi corpus plethoricum aliqua ex parte fuerit, non dico ſecundũ ſyndromen, modo robur uirium cóſtet, à ſanguinis miſsione auſpicabimur, eamq;, cum uterus conſentiat ob mẽ-

fium ſuppreſsioné uel diminutioné, à uena quæ ipſum reſpicit atq; menſes proritare ualeat, faciemus, uti eſt poplitis uel malleoli. ſed quoniã noſtris temporibus aut chirurgorum imperitia, aut medicorum negligentia poplitis uenæ ſectio minimè ſit uſitata, malleoli dextri uenam ſecarem, ſic enim rectitudinem reſpiciemus indicis ſaltem manus dextræ malè affecti, & mẽbrum utpote uterum qui magna ex parte ad hanc affectionem concurrit: & membra affecta quæ non licet inter initia ſcarificare deuitabimus. Interea uerò ſcopum dirigerem ad curationem ægritudinis, quæ nunc inſtat. Nam menſes poſtea ciemus ad præcautionem, eos tamen neque in curatione negligentes. Et ideo præmiſſa uenæ malleoli dextri ſectione humores deinde qui peccant diſponerem ad purgationem, exhibendo inprimis pomata ex melle roſaceo colato, ſirupo ex artemiſia,

& iua per aliquot dies. purgatorium deinde medicamentum propinarem quod bilem & pituitam educat, quẽadmodum eſſet ex paſtillis de uiolis abſq; ſcammonio, (nam materia, ut arbitror, eſt tenuis) melle roſaceo ſolutiuo, & elacterio ex ſucco roſarũ confectum. Sic enim bilem & pituitã purgare ualebit abſq; uẽtriculi noxa. Die autem ſequenti ſaccharum roſaceum cũ portiuncula mithridati adhiberẽ, cũ aquis endiuiæ betonicæ & iuę. poſtremò ea quæ concoctionem præſtare poſſunt (ut plurimum enim hæ paſſiones ab eius cruditate dependent) atq; humoris peccantis deſiccationẽ, & membrorum debilium corroborationem deſcriberem, uti eſſent morſuli ex ſpeciebus aro. roſ. d. g. & diarhodon abb. confecti. Extrinſecus uerò potiſsimum uentriculo ad ſucci confectionem ceratum ex maſtiche cum piſtello ignito diſſoluta applicarem, paululum galliæ alefanginæ adijciendo.

do. articulis autem niſi dolores ualde urgerent, nihil admouerem. cum propter uulgi infamiam, aſſerentis topica præſidia in id genus morbis nequaquam conuenire, ſed eos nedum deteriores, quinimo incurabiles reddere: tum quia in articularijs morbis ſæpenumero non pituitoſus tantùm humor, ſed crudus propriè prædominatur, qui eſt humor craſſus puri ſpiſſo haud abſimilis, qui cum in articulis remoratur & craſsior & uiſcoſior euadit, adeò ut in duriciem ſæpe contumaciſsimam, quam Latini tophum, Græci πῶρον appellāt, coaleſcat, quod ubi factum eſt, nulla amplius ſpes reſtat quòd poſsit articulus in priſtinū ſtatum reſtitui. ijs tandē peractis quæ ad curationem pertinent, triduo uel quatriduo ante cóſuetas per uterum purgationes, ad præcautionem ea fiant quæ ad menſium prouocationem conducere ualeant, ut eſt uenarū poplitis uel malleoli ſcarificatio, eorum

medicamentorum exhibitio quę me ſes proritent, utpote calamenti decoctum, hyſſopi, origani, pulegij, artemiſiæ & dictamni Cretenſis, cuius nunc apud ſeplaſiarios noſtros copia reperitur. quæ ſi peragãtur, facilè ſpero nobilem mulierẽ poſſe nedum hoc morbo liberari, ſed etiam in poſterum prę ſeruari. Hæc ſunt quæ ex tempore reſcripſi. Tu interim benè uale. Nouocomi, quinto Idus Iunij.

THADDAEVS DVNVS Medicus, D. Ioanni Paulo Turriano medico clariß. S. D. P.

Epiſt. XII.

PERLATAE fuerunt quas ad me dediſti literæ (ſuauiſsime Paule) ex quibus non modo raram tuam humanitatem, ſed ingenij quoq; candorem & ſolidam eruditionem perſpexi. iucundiſsimũ mihi eſt (cum non queã præſens præſentem alloqui) hoc ſaltem

ſaltem colloquij genere & quãtus ſit amor erga te meus, & quid tum mihi tum alijs de te perſuadere poſsim, declarare. id equidem dixero, te in iſthac ciuitate, citra omnem controuerſiam, primis honoribus dignum. Verùm laudes tuas nequaquam mihi nunc propoſui decantare, quin potius ſi qua in parte tuæ epiſtolæ hæſitaui, hac mea reſponſione ſignificare. Quatuor itaque potiſsimùm epiſtolæ tuæ ſententiæ, me nonnihil dubitare fecerunt. quarum prima, uerùm minima, ea eſt quæ de nominibus articularium morborum tractat, huic proxima, quæ de principio curationis eius morbi de quo nobis ſermo fuit: ſitne incipiendum à purgatione humorum peccantium in articulis, bilioſorum ſcilicet ac pituitoſorum, præmiſſa præparatione: an uerò ab euocatione menſtruæ purgationis quam diximus morbi potiſsimam cauſam eſſe. Tertia de

genere pharmacorum exhibendorũ pro purgandis iamdictis humoribus. quarta, de Dictãno. Scripsi ego q̃ uocabulũ græcũ ἀρθρίτις propriè latinè, hoc est, à latinis medicis, dicitur articularis morbus, quodq; ἀρθρίτις affectus sit omnium articulorum corporis. itẽ quòd affectus particulares articulorum denominentur ab ipsis passis locis, & non dicantur, neq; Græcè ἀρθρίτις, neque latinè articularis morbus, licet tamen passio sit articulorũ. Græci enim neq; coxendicis dolorẽ, neq; pedum, neq; manuum, arthritidẽ nominant. Tu uerò rescribis quòd nó dubitabis dolorem manuum, aut pedum, aut aliorum ariculorum ἀρθριτικὸν appellare, siue articularium, licet non omnes afficiantur articuli, quodq; ridiculum existimas nominare chiragram aut gonagram, quum uno uocabulo, articulari, explicare possimus, quodq; ischias ab AEgineta dicitur de genere articularis morbi.

bi. Igitur ridiculi erunt, mi Paule, Græci primum, deinde & Latini, qui dixerunt iſchiadem, podagram, chiragrã, & huiuſmodi. quorſum enim ea nomina impoſuerunt, quum abundè ſatis fuiſſet (te iudice) omnẽ eius generis affectionem arthritidem nuncupare? Sed non abs re id à Græcis medicis factum eſt, quippe uoluerunt particulares morbos ab uniuerſali diſtinguere, quia inde clarior res eſt, & quia pro ratione affectæ partis cura eſt ſuſcipiẽda. quis enim neſcit quòd cum affectio coxendicem occupauit ualidiora multo medicamenta ſint admouenda, quàm ſi manus, aut pedes, aut genua aut alios articulos infeſtarit. Hinc eſt ꝙ à Galeno lib. 10. de comp. med. κατὰ τόπους cap. 2. plurima eaq́; ualidiſsima medicamẽta iſchiadicis cõgrua referuntur, quorum nullus ferè uſus eſt in chiragra, aut podagra. item ab eodem eo capite ſcribitur: Quibus accedat pharmacorum dicendo-

rum conueniens & tempore, & ordine usus, ita ut in manibus & pedibus pharmacis fluxionem repellentibus utamur, circa coxendicum uerò iuncturam id facere uitemus. Ecce ꝙ pro loco affecto medicamenta uariãtur, licet una ferè sit passio omnium. Nihil uerò in contrarium facit Pauli autoritas, quæ dicit, ischiadem esse ex genere articularis morbi, nã eam et sententia habetur apud Galenum in principio secundi capitis libri nuperrimè citati. Sed aliud est dicere, esse ex genere arthritidis, aliud esse arthritidem. Proinde Galenus scribit: Ex genere arthritidis est tum ischias tum podagra. Quod enim in omnibus articulis ἀρθρῖτις est, hoc in uno iuxta coxendicem quidem ischiada, hoc est coxendicum morbum appellant, iuxta pedem autem podagram. Vides ex hoc loco quòd nisi omnes afficiantur articuli, ἀρθρῖτις à Galeno non dicitur, sicut nec à Paulo lib. 3.
cap.

cap. 78. Quare ridiculum haud erit, ſed potius artificioſum ita morbos diſtinguere. Videbitur tibi fortaſſe hæc de nominibus arguta diſceptatio inutilis, ſed non ita ſe res habet, imò neceſſaria eſt. De principio curationis ego fui huius ſententiæ ut primò mẽſes mouerentur, ſectione uenæ malleoli, & aſſumptione eorum medicamentorum quæ ad eundem ſcopũ faciunt. quum uerò quamplurima talia inueniantur, unicè tamen ea de quibus memini à Galeno laudantur. In epiſtola tua ita ſcriptum inuenio: Initium itaq; curationis erit ab humoris noxij euacuatione, & ſi corpus plethoricum aliqua ex parte fuerit, non dico ſecundum ſyndromen, modo robur uirium conſtet, à ſanguinis miſſione auſpicabimur, & quæ ſequuntur. Hæc, niſi fallor, ſumpſiſti ex eo capite quod iam aliquoties à nobis citatum fuit ſuprà, ubi Galenus ſcribit: Porrò principium curationis

ſit tibi euacuatio humoris affligere reperti. Siquidem humoribus ex æquo redundarit corpus, uenæ ſectione primum omnium aſſumpta, deinde purgatione. Sed cum hoc loci nihil Galenus conſiderauerit de retentis menſtruis, atq; adeo de noſtro caſu, procul dubio aliud curationis principium ſtatuendum eſt, id nempe, quod ſupra à nobis relatum eſt. Etenim quî poterimus paſsionem curare permanente eius cauſa? oportet ſiquidē primum & ante omnia cauſam remouere quæ morbum fouet & auget, ita deinde ad morbū ipſum accedere, quia tum habebimus naturam cooperantem. proferrem ex Galeno mille autoritates niſi ad Paulum Turrianum ſcriberem. Quū uerò tempus fuerit purgationis redundantium humorū cenſerem propinandum inter cætera agaricum. tu uerò non hoc, ſed à barbaris & Arabibus compoſita quædam, ipſis etiam teſtibus, in hoc caſu non mul-

multum conuenientia, qualia ſunt pa
ſtillus ex uiolis abſq; ſcammonio, ele-
ctarium de ſucco roſarum, & roſace-
um mel ſolutiuum. inprimis quàm ac
commodatum ſit id medicamentum
quod in medium protuli oſtendam:
mox quàm minus accómodata quæ
tu dixiſti. conſtituamus igitur ſcopũ
noſtrum propter quem purgare uolu
mus, ſanè is erit: purgatio humoris bi
lioſi & pituitoſi à iuncturis: & quia nó
eſt multa quantitas humorum noxio
rum, ob id non oportet medicamen-
tum eſſe admodum ualidum. Si medi
camentum præter hoc quod purget,
etiam conferat utero & retentis men-
ſtruis atq; omnibus uiſceribus, per Io
uem, ſaluberrimum fuerit. tale omni-
no eſſe agaricum audies. Dioſcorides
lib. 3. cap. 1. inter cætera ſic ſcribit de
Agarico: facit ad coxendicum & arti
culorum dolores, & comitiales mor-
bos, ſi cum aceto mulſo pari pondere
ſumatur. menſes ciet fœminis quas

inflatio uuluæ uexat utiliter æquali modo datur. AEgineta lib. 7. ait: Agaricum in euacuando compares colocynthidi uires obtinet lentè efficaciã suam exerens, neq; stomacho admodũ hostile. quid uerò posſit colocynthis paulò ante dixerat. Mesues & cũ eo recentiores, pituitam crassam & lẽtam, & bilẽ flauam purgat ab omnibus uisceribus. urinam quoq; mouet & menses, uterumq́; expurgat, iſchiadicis & cæterorum articulorum dolo ribus confert. tardè quoq; & imbecil liter uacuat. Mel autem rosaceum, & electarium ex succo rosarum ad purgandum humores biliosos tantum conferũt, autoribus ijs qui ea inuenerunt. de pastillis è uiolis Mesues ita ha bet: sedãt inflammationem, uentrem leniunt, thoracẽ purgant. ijs enim po tiſsimum in pleuritide utimur, alijsq́; pectoris morbis, nó in articularijs. mi nus itaq; talia medicamẽta in casu no stro conueniunt. nisi fortasse aliquo

co-

eorum cũ agarico misto, ut electario de succo rosarũ, aut indo maiore uti uelimus. Scribis esse copiam Cretensis dictamni apud seplasiarios uestræ ciuitatis, qđ ego difficillimè credo, propter autoritatem omnium qui ætate nostra scribunt, aut aliquot antè annis scripserunt de re herbaria. communiter enim affirmant Cretense dictamnum, hoc est, uerum & optimũ ad nos nó peruenire. facies mihi rem pergratam si eius folia (modo folia habeant seplasiarij) miseris. ea ego satis ac satis examinabo: si mihi uidebitur esse uerum Cretense dictamnum, charissimum mihi erit. sin contrà (quod dubito) transibit suo marte. aliquot erant alij loci in epistola explicatione magis quàm correctione digni, sed tamen eos prẹterire uolui. Scribe me, rogo, in catalogo amicorum tuorũ, deinde uale. Assij, prid. Idus Iunij, M. D. LIII.

IOANNES PAVLVS TVR-rianus, Thaddæo Duno præ-cellenti medico, S.D.P.

Epist. XIII.

QVANTA subtilitate sententiã nostram conuellere nixus fueris, de mali affectus nomine, atq; eius curatione quo honesta mulier uexatur, mihi admodum mirum non est, ut qui ingenij tui acrimoniam perspectam habeam, ex ijs potissimum literis quas proximè ad me dedisti. quibus sanè nihil mihi gratius euenire potuisset: nam ea me docuisti quæ animo nondum aduerteram, ac diligentiorem reddidisti in autorum lectione. Quare in te totus animo feror, & ut beneuolentiã erga te meam agnoscas te etiam atq; etiam obsecro & obtestor. Quod superest, ad ea me conuerto, quæ tibi non abs re dubitationem

nem attulerunt. Et inprimis quod ad nomenclaturam morbi attinet, quem ego ἀρθρῖτιδα, hoc eſt, articularem nũcupare non dubitaui, quãdoquidem plures, & ſi non omnes comprehendat corporis partes, utpote alterũ genu, atq; in utraq; manu digitos. neq; enim neceſſarium eſſe arbitror ſi ἀρθρῖτις appellitari debeat morbus: quòd omnes corporis articuli laborent, ſed ſatis eſſe quòd plures quam aut manus tantùm, aut pedis aut cuiuſuis alterius partis. quamuis Paulus AEgineta aliud ſentire uidetur, & cũ eo alij: uerùm ipſe, ut conijcio, quod magis propriè, aut plerunq; dicendum erat, nobis expreſsit. Proinde affectionem quę tantùm pedem, ſeorſum dico, aut manum occupat, aut genu, iuxta medicorum ſcholam, proprio nomine, podagram, chiragram, & gonagram ab ipſis partibus affectis denominarem, non articularem. neque uerò ut ſcribis, in epiſtola mea ita ſcriptum re

liqui, nisi me fallit memoria, quòd nõ dubitarem dolorem manuum, aut pedum, aut aliorũ articulorũ ἀρθριτικὸν appellare, siue articularium, quamuis & Græcè & Latinè iure merito id fieri possset. Siquidem ἄρθρον unde ἀρθρίτις, articulũ significat. Sed quoniam medici sumus medicorum dogmata sectantes, & præcipuè Græcorum, diximus, si te non tædet eã relegere, quẽ morbum sanè, huius scilicet mulieris de qua agimus, ἀρθριτικὸν, seu articularium haud dubitarem nuncupare, & si non omnes cõprehendat articulos, sat est quòd plures quàm aut manuũ, aut pedum afficiantur partes. quibus pro certo cõcessis, non uideo quo pacto elici possit me innuisse, nedum expresse protulisse, quòd morbus qui tantùm pedem, aut manum affligit, articularius dici debeat, non podagricus, aut chiragricus. at benè si ita contingat ut in eodem patiente coniunctim manus & pes, uel manus & genu,

nū, uel aliæ complures corporis particulæ affligantur, articularium morbum nuncuparem, licet non omnes afficiantur, quemadmodū dixi in casu huius mulieris, quæ si tantùm manu, aut genu tantùm laboraret, chiragram proculdubio, uel gonagram eā ægritudinem, unde nomen sortita est, appellassem: non articularem. Quocirca non præter rem ridiculum fore existimaui, aliquod uitium multis nominibus notare, quod proprium & uerum nomen habeat, nanque ut opī nor, non alia ratione Græci autores id nomē ἀρθρῖτις excogitauêre, quàm ut si quis pedibus simul & manibus, uel etiam genibus laboret, eum unico uocabulo explicarent, neque per podagram, chiragrā, ac gonagrā circū scriberent, unde proculdubio ridicula & nugatoria resultaret oratio. Non ergo ridiculi erūt penes me Græci neque Latini, quinimo eximia laude ornandi, quòd tā accuratè & diligenter

ſingulorum morborum nomina indagauerint, & præcipuè articulorum, quibus & commune, & proprium impoſuerunt nomen. ut ſi eueniat aut omnes corporis articulos, aut eorum pleroſq; laborare, eum quoque proprio & uero nomine exponere uoluerint. Si quis itaq; coxendicis dolorem pariter & manus uel pedis pateretur, non ego eum iſchiadicum & podagricum ſeu chiragricũ eſſe dicerem, ſed arthriticum: ſi autem coxendicis ſolùm ἰσχιαδικὸν, ſi pedis podagricum, ſi manus chiragricum, & ſic deinceps. parum quoq; de nominibus curandũ eſſe cẽſui, ubi uidelicet de cauſa morbi & membro affecto conuenimus, ſicuti hoc in caſu de quo diſceptamus. Sic enim & Galenum ſæpenumero dixiſſe legimus, præſertim libro quarto de methodo medendi, ubi ita ſcriptũ reperies: millies enim dictum eſt, non oportere de nominibus contendere. alias eiuſdem autoritates omitto, uti

&

& aliorum antiquiorum. Neq; uerò me latebat affectarum partium cognitionem, non parum cõferre ad curationem, quum diuersa membra diuersa requirant præsidia, secundum naturam differentem & substantiam, atque etiam situm. nã in podagra & articulari ægritudine licet uti fluxiones reprimentibus, quod in coxẽdice nequaquam consentiremus, quum materia ibi in profundo iaceat. tũc enim sanguinem ex propinquis uasis & musculis ad coxẽdicem propelleremus, & longè magis patientem dolore cruciaremus, & morbum magis contumacem redderemus. De ijs uerò quæ respectu substantiæ & naturæ membrorum sunt consideranda, pluribus in locis Galenus nos admonuit, sed ea, uti & alia consultò omisimus, tum quod ad te hominem eruditissimum scriberem, tum præterea ut te epistola non uolumine lacesserem. Quod uerò ad curationis initium attinet,

equidem ab humoris noxij euacuatione auſpicandum eſſe cenſeo, utpote à ſanguinis miſsione ſi uires conſtiterint, eamq́ꝫ, ſi libet ea quæ ſuperiori epiſtola ad te ſcripſi, relegere, cũ uterus ſecundum conſenſum concurrat ob menſium defectum, à uena quę ipſum reſpiciat, atq; menſes proritare ualeat faciemus, uti poplitis, uel malleoli dextri, Sic enim dixi, uterũ reſpiciemus qui magna ex parte ad hãc affectionem concurrit. neqꝫ tamen id ſolum membrum fortaſſe, ut arbitror huic morbo cõſentit. mox uerò quũ de præparatione ad purgationem cõmemorarem ſubſcripſi, neqꝫ mẽſes in curatione negligẽtes. Proinde in deſcriptione pomatum id quoqꝫ cõmiſcui, qd' ex artemiſia cõficitur, quod quantum ad uteri paſsiones ualeat, te non præterit, Sed quod non parũ mirari ſoleo, eſt, quod in curatione hui9 morbi uterum tãtum reſpicere uelis, cæteris neglectis, ea medicamina pro

pinando

pinando quæ menſes ciere poſsint. Noſti mi Dune hanc cauſam eſſe ſatis remotam, quę potius ad prohibendũ morbum futurum ſubmouenda eſt: noſti quoq; diuretica atq; magis ea quæ menſes prouocant à pluribus in morbo articulari, ſeu chiragrico, ſeu podagrico & alijs id genus damnari, ne præcipitata ad iuncturas materia deteriorem efficiat morbũ, quod præſertim corpore nõ uacuato uſu ueni-re ſolet, licet ego aliâs aduerſus illos diſſeruerim. Noſti præterea ſi ſolũ ad menſes ciendos curã adhibere uolue ris, uel nunquã id cõſequi poteris, uel admodũ tardè, ijs præcipuè mulieri-bus quib⁹ iã diutino tẽpore ſuppreſsi fuêre, ut experiẽtia multoties à nobis compertũ eſt. & ideo eo ingenio ꝓce dendũ eſſe cẽſeo, qđ autores omnes & Gręci & Latini, atq; etiam Africani nos docent, qui in morbis κατὰ συμ-πάθειαν contractis & cauſę morbi iam facti & membro conſentienti ſcopos

esse conuertendos admonent. amplius, quî fieri potest ut repellentibus utaris medicamētis, si quandoq; opus fuerit, nisi prius corpus exinanitū sit. neque uerò ea uenæ sectione quæ ad prouocandos menses solet fieri, tantum uacuabis quod sufficiat ad usum eorum medicamentorum scilicet reprimentium, quum ea tā parca ut plurimum fiat, ut aliquando sola scarificatio, non sanguinis missio à Galeno dicatur. Quare sequitur iudicio meo ut mensium proritatio potius ad arcendum morbum futurum, quàm ad eius curationem postremo tentanda sit. non tamen dum curatio agitur ea penitus est negligenda, uti & superioribus ad te literis admonui: nam si dū curamus menses prodirent, Dij boni, quantum conferrent. Quamobrem causa quæ est humorum præter naturam redundantia, seu mensium defectu, seu alia quacunq; causa in corpore coaceruata, celeriori præsidio erit

amo-

amolienda, quàm mensium prouocatione, quæ præpotentibus etiam medicaminibus exhibitis uel nunquam, uel ita tardè subsequetur, ut posset interim ægrotans supramodum torqueri doloribus. alio igitur ingenio succurrendum est, quo nihil præstantius esse potest, quàm ea uenæ sectio, quæ non solum menses eliciat, sed peccantium humorum copiam exhauriat. at qui ita passionem curabimus nō permanente eius causa, quæ dici potest materia in uenis congesta, quam fortassis natura per uterum purgare consueuerat. Postremò, ut alias dixi, totus scopus ad uterum erit dirigendus, si forte sit huius redundantiæ fomentū, & hoc magis ad præcautionem quàm ad curationem pertinebit. & tunc ea Galeni medicamina quæ sunt efficacissima præberi poterunt, citra periculum præcipitandi materiam, quæ iam erit uacuata. Purgatorium autem medicamen ad κάθαρσιν propositum

id quidem à Mauritanis autoribus de ſumptum eſt, nec perperam, ad educendam nanque bilem & pituitam tenuem quas ut ſcribis, in hac muliere prædominari conijciendum eſt, apprimè accommodatum atque utile eſt: & ab omnibus noſtræ ætatis clariſsimis medicis in huius generis morbis ſæpiſsime uſitatum. neque obſtat quod paſtilli ex uiolis abſque ſcammonio à Ioanne Meſueuo tantum in ægritudinibus pectoris laudētur, quum eorum compoſitionem turbit indatur, quod pituitam tenuem cum facilitate ducit, atque ut ipſe inquit in tractatu de ſimpliciũ medicamentorum facultatibus, à iũcturis, anchis, & locis profundis & diſtantibus. Proinde turbit ab ipſo Meſue tantopere extollitur in doloribus iuncturarum, ut capitulo de earum dolore in generali, & capitulo de earum curatione in ſpeciali, nullam ferè commemoret medicinam

ad

ad morbum artheticum confectam, quam turbit non ingrediatur, seu in formam trageæ, ut uerbis suis utar, seu in formam potionis, seu globulorum, seu elacterij eam construxerit. ibidem quoque globulos ad morbum articularem biliosum simul & pituitosum componit, quibus elacterium ex succo rosarum adijcit, quæ omnia apud principem Auicennam pariter legi possunt. Quamobrem tãtũ abest ut purgatoria medicamenta à me commemorata Arabibus testibus non sint huic casui conuenientia, ut illis attestantibus ualde congrua dici debeant. neque propterea Agaricum non approbaui, sed ideo silentio prætereundum censui, quod id potius humores crassos expurgare dicatur, quàm tenues, qui tamen hoc in casu peccant. & hoc asserentibus cum Græcis tum Africanis autoribus, quod si Ioannes Mesueus dixerit etiam choleram ducere, intelligit

tamen crassam, quum rubeam exponat. Plura succurrunt mihi de hoc dicenda, quæ de industria prætermitto, quoniam satis huius epistolæ magnitudo creuit, uoluminis ferè instar. Mitto tibi dictamni Cretensis portiunculam, quod si maiorem copiam uolueris pharmacopola tibi præsto erit: ueram & germanam dico, non pseudodictamnum. quæ nostra ætate è Creta Venetias uberrimè affertur. hanc ego primus Nouocomum attuli è Gymnasio Patauino anno M.D.XXXIIII, quam Andreas Cornelius Patritius Venetus amplissimus tunc Brixiæ episcopus præceptori meo dono dederat: eaq; ita facilè ad nos peruenit, ut proinde Antonius Musa Brasauolus in opusculo quod examen omnium simplicium medicamentorum inscripsit, hæc uerba protulerit: Dictamnũ habere mihi ita facilè uidetur ut lactucam, quum singulis annis Venetorum naues, & Illustrissimi Ducis nostri ad

Cretæ

Cretę littora appellent. non ergo omnes qui ætate noſtra de re herbaria ſcribunt, uel antea ſcripſerunt, affirmant ueram Dictamnum & optimam ad nos peruenire non poſſe, quod & apud Ioãnem Ruellium uidere licet. Tu deinde obſecro poſthac ne adeo ἀπειθὴς eſto, ut ea quæ non ſunt difficilia, impoſsibilia reputes. Interim bene uale. Nouocomi xvij. Cal. Iulij. M. D. LIII.

THADDAEVS DVNVS MEdicus, D. Ioanni Paulo Turriano Nouocomenſi, medico excellentiſs. S. D. P.

Epiſt. XIIII.

NISI me mea fallit opinio reſpõſionem meam cum ſtomacho legiſti, ac parum æquo animo aut tranquillo reſcripſiſti. facit ut hoc credã epiſtolæ exordium, nec non & quæ-

dam alia, quæ licet ſint aſperiuſcula. non tamē audeo (nec id ſine ratione) de ijs quicquam effutire. Deum ego teſtor, quàm optime de te ſentiam. Si uerò tu propterea malè (quod abſit, non enim facilè adduci poſſum ut id credam) de me ſentis, quod ijs cōtradixerim quę doctè abs te ſcripta ſunt, ſanè non uideo cur id facere debeas, præſertim cum ego ſumma modeſtia ſcripſerim, & præterea nihil niſi quod è libris ſumptum eſt. Sed hæc procul ualeant. Animum enim meum erga te declaraui, & animum tuū beneuolentiamq́ erga me tuam agnoſco. Quod ſupereſt, cōuerto me ad ea de quibus lis eſt. Scribis: neq; enim neceſſariū eſſe arbitror ſi ἀρθρῖτις appellitari debeat morbus, ꝙ omnes corporis articuli laborent, ſed ſatis eſſe ꝙ plures q̄ aut manꝰ tātùm, aut pedis, aut cuiuſuis alterius partis, Quāuis Paulus Aegineta aliud ſentire uidet̄, & cū eo alij: uerùm ipſe, ut conijcio, quod magis propriè

autplerunq; dicendum erat nobis ex
presſit. Quia apertè & Galeno, & Pau
lo, & reliquis omnib⁹ medicis tã Grę-
cis quàm Latinis cõtradicis, atq; quo
dammodo (ut ita dicã) principia ne-
gas, neſcio quid ad hoc ꝓferã. pręſer-
tim cũ uidearis docere uelle Græcos
linguã inuentaq; ſua. Nos nõ latet, qđ
ἄρθρον, unde ἀρθρίτις Græcis ſignificat
articulũ, ſed inuenias mihi, quæſo, qđ
proinde ἀρθρίτιδα illi uocauerint do-
lorem pedum, aut manuum, aut utro-
rumq; ſimul, aut etiã cũ aliquib⁹ alijs
articulis, niſi omnes penè corporis ar
ticuli fuerint infecti. Galeni Pauliq; lu
ce meridiana clariores autoritates ti-
bi protuli, quib⁹ ſi aſſentiri nõ uis, ſed
ueritati palàm reluctari, uerbis ego
chartisq; parcã. ne quid aliud interea
parũ modeſtè efferã. Reuoca obſecro
in memoriã ęgros articulari morbo af
fectos ſi quos unquã curãdos ſuſcepi
ſti, (qua de re nihil dubito) perpẽdeq;
nũ pedũ aut manuũ ſimul tantũmodo

dolore cruciarent, an uerò omniũ articulorũ corporis. Equidẽ articulari morbo laborantes utplurimum crapulosi deprehenduntur, unde crudis humoribus ac pituitosis, crassis & uiscosis referti sunt, unde maximè passiones fiunt articulorum, quibus correpti neq; crura, neq; pedes, neq; brachia, neq; manus, neq; collum, neque spinam, neq; partem ullam corporis facilè mouere possunt, sed iacent tanquam lecto affixi & hærentes. hos arthriticos Græci & Latini appellant. Mulier uerò cui consilium damus, & luctari, & saltare, & currere egregiè potest. Verùm et si nó posset currere, aut saltare, aut luctari, propter digitorum aut alterius genu dolorem, neq; propterea arthritide laborare censerem, sicuti tu. His ego tandem finem impono, ne nugatoria fiat epistola: præcipuè quum clanculum & in hac prima parte, & in reliquis duabus in sententiam meã (ut facilè colligitur) descen-

descẽdas. Confero me ad alterã partem epiſtolæ, in qua tractatur de principio curationis propoſiti affectus, quem diximus eſſe chiragram à retentis menſtruis natam. Quia non fuiſti contentus ijs quæ ego ſine Galeni, aliorũq; autoritatib⁹ ſcripſi, age ad methodum Galeni exactiſsimam ueniamus, quæ docet (lib.3.cap.9.) principium curationis in omni morbo dirigendum ad id ſine quo reliqua curari nequeunt: in hunc modum propoſito caui ſordidiq; cum phlegmone ulceris exemplo. Ergo ſi ad hæc reſpexeris, inquit, ordinem ſanationis inuenies. ueluti ſi phlegmone, & cauitas, & ulcus, & ſordes, ſimul in eadem particula conſtiterint. Primum phlegmonem, ſecundò loco ſordem, tertiò cauitatem eſſe ſanandam, & quartò ulcus. Caro enim noua gigni nõ poteſt, niſi phlegmone pars ſubiecta careat, quia uerò in generatione carnis ſordes proueniunt, ſanè niſi hæ amoueã-

tur nullo modo ulcus impleri poterit, oportet nanq; purum esse. atque hoc est sine quo non. Vbi uerò hæc benè habent, cauitas repletur, sine ullo impedimento. ulcusq; ad cicatricem deinde perducitur. Igitur quia retentio menstruorum in eo affectu rationem habet eius sine quo non (continuè enim aliquid eorum humorum qui per uterum purgari deberet iuncturis sese inserunt) hinc curationis principium erit. Quod si tuo more primùm purgare medicamēto aggressus fueris, nihil proficies, nam etsi humores in articulis existentes purgaueris illico noui influent. Nō aliter ac si alueum aliquem in quē fontis aqua deriuatur euacuare contendas, priusquam aquam continuè influentem aliò transtuleris. frustra enim id tentabis. Hinc est quòd Galenus, & cum eo medicorum tota schola, ubi humores in aliquam partem fluunt, primùm quidē prohibent quantum fieri potest ne quid amplius

influat,

influat,(hoc unicum argumẽtum ſententiam tuam poteſt explodere) mox quod fluxum eſt euacuant. Vnde & ea quę de morbis τῶν συμπάθειαν cõmemoras egregiè contra te faciunt. nam ante omnia, & ſæpenumero ſolum, illud membrum curari debet quod primario affectu laborat: nec eſt quòd dicas uterum per conſenſum concurrere, quum is primario affectu laboret. imò ab utero omnis eius ægritudinis cauſa originem habet. Quòd ſi confugias ad alteram indicationem quæ ſumitur ab eo quod magis urget, quia Galenus ſcribit libro capiteq; methodi ſuprà citatis: Nã affectus unde primum maximeq; imminet homini periculũ hic primus curari debebit: dolor digitorum non adeo urget, ut ad ſe potiſsimam curationem trahat. Primũ enim ſuprà dictum eſt, quòd mulier & luctari & ſaltare poteſt, ad hæc munera ſolita obire, deinde tametſi dolor moleſtus eſſet non propterea

in ſpacio quatuor aut quinq; dierum, aut plurium mortis, aut alioquin multo grauioris morbi periculum imminet. Locum habet ea indicatio ubi repentina timetur aut mors, (ut in animi deliquio in acutis febribus.) aut affectio altera lethalis, aut ſaltem perniciosior: in hac uerò muliere quæ dolore digitorum iam non diebus modo, ſed ſeptimanis & menſibus afficitur, quid obſecro, tantopere urget? Scribis præterea te multum mirari quod in curatione eius morbi uterum tantum reſpiciam, neglectis cæteris. Sed nihil eſt quod mireris, primum quia huic ante omnia ſuccurrendum eſt, deinde quia cura quam ego tradidi non ſolummodo uterum reſpicit, ſed & locos alios affectos. Probè enim promanantibus menſtruis nihil dubito quin affectus digitorum aut penitus, aut multa in parte tollatur. ut id præterea ſilentio tranſeam, quod ea medicamēta quæ ad menſes ciendos
dan-

dantur, utilia etiam ſint ad parandum humores expulſioni, ut colligitur ex Galeno libro primo aphoriſmorum com. penultimo. & multis alijs locis. Vnde cenſueram poſt prouocationẽ menſtruorum ſubiungendum cathar ticum. Nihil autem opus eſt ut ſingulis tuæ epiſtolæ ſententijs reſpõdeam cum res iam ſit clariſsima ex ijs quæ in alijs epiſtolis meis & in hac ſcripta ſunt. in quibus ne latum quidem unguem ab ipſiſsima Græcorum metho do deflexi. orationem præterea conuertis ad ea purgantia medicamenta, quæ laudaueras magis quidem quàm Agaricum. ac pro uiribus tuã ſententiam defendere conaris, ſed quam uiriliter id facias, audi. Præſupponis primum me ſcripſiſſe in ea muliere redũdare bilioſos pituitoſosq́ humores tenues: aut tales eſſe credis. Verùm neq; ego ſcripſi (repete epiſtolas meas) pituitoſos humores qui peccant tenues eſſe: neq; propterea ſi tenues eſ

ſent,ſicut & bilis,agaricum non con-
ueniret.atq; hinc ridiculum planè eſt
quod ſcribis.Meſuen quum dicit aga
ricum attrahere bilem, quòd craſſam
intelligat, quia dicit rubeam,quando
quidem Meſues colerã rubeã, ſiue fla-
uam bilem dixit,ad differentiam atræ
bilis. Non decet (mi Paule) autorum
ſententias tam peruerſe interpretari.
Neq; animaduertis quòd ſi agaricum
pituitam craſſam craſſamq; bilem (ut
fingis)detrahit facilius eaſdem tenues
educet.Actuarius prçterea cuius non
dum meminimus ſimpliciter ſcribit:
Agaricum pituitam & bilem, ſed non
celeriter pellit.de meo agarico hçc ſuf
ficiant.dicamus uerò de tuis uiolaceis
paſtillis, ſiue de tuo turbith. in altera
epiſtola commendaſti paſtillos,quos
quũ ego reſpuerim,reſpondes qđ ma
gnopere à Meſue in doloribus articu-
larijs turbith laudatur, hoc aũt ingre-
ditur cõpoſitionem eorũ paſtillorũ.
ut mittamus Græcas rationes, age in-
ſiſtamus

ſiſtamus traditionibus Arabum. Meſues & princeps ille tantus Auicenna unicè turbith laudant in doloribus articulorũ, non paſtillos, igitur ſcribendum tibi erat exhibendũ eſſe turbith. cõpoſitio enim paſtillorum aliud deinde eſt ab ipſo turbith, quæ ab ijſdem autoribus inuenta eſt ad paſsiones pectoris: iccirco in paſsionibus pectoris ijs utũtur, in quibus & manna, & uiolæ, & glycyrhizæ ſuccus ſunt, ſi uerò æquè paſtillis uti ac ipſo turbith conueniret, Meſue & in capite de paſtillis aliquid dixiſſet, & in capitibus de articularijs doloribus paſtillis uſus eſſet. Verum iam & Agaricum & turbith tranſeant. Venio ad Dictamnum, & ingenuè tibi aſſentior, uerumq; Cretenſe dictamnum eſſe quod miſiſti tã certò teneo, atq; roſam eſſe roſam. folia pulegij habet quæ tomento & ſpiſſa lanugine pubeſcunt, acriáque ſunt iuxta Dioſcoridem. libenter acquieſco, ac ueritatem agnitam (quod

tu in alijs non facis) amplector, gratiasque tibi habeo immortales pro tanto munere. ἀπαθὴς uerò abs te immeritò dictus ſum, quo minus enim facilè crederem quod ſcripſeras, tot tantorumque uirorum Italorum, Gallorum, Germanorumque autoritates, quas uidi, in cauſa erant. Putas autem imprudentius me protuliſſe, quòd autores omnes rei herbariæ conſentiant uera Dictamno nos carere, quum tu & Ruellium & Braſauolũ contrariæ ſententiæ deprehenderis. mirum in modum tamẽ falleris. Nanque quod Ruellius ſcribit dictamnum, pſeudodictãnum potius eſt quàm uerum. nos uerò de uero loquimur. ſcribit ille quòd in Gallia naſcitur, & zingiber hortenſe appellatur, unde facile ſuſpicio poteſt oboriri non eſſe uerum. Braſauoli autem examen apud me nõ eſt, proinde etiam non poſſum efferre quid de illo ſentiam. tamen ne iterum me Græco aliquo uocabulo notes, credo

do apud Musam ea haberi uerba quæ scripsisti. Verumtamen est mihi eius examinis castigator (iudicio meo) acer, Aloisius Mundella Brixiensis, qui in epistola ad ipsum Musam de dictamno in hunc scribit modum: ut autem credam (habebis hic cẽsuram de Ruellio simul & Brasauolo, quos contra absolutam meam sententiam inuenisti) ego quoq; quòd uera dictã no nos careamus, hoc facit, quòd nusquam nisi in Creta prouenire Plinius dicat: etsi Ruellius in Gallia nasci, & zingiber hortense appellari scribit: nisi his temporibus, ut de alijs multis cõstat, quæ in aliam patriam tralatæ, ibi postea propagatæ sunt, & natales suos illud solũ fecêre, ita & de hac nunc uerum sit dicere. Cum autem scribis folia similia elleboro habere, pulegio fortasse cum Dioscoride & Galeno legendum fuit. Hæc Mundella. Ex quibus illud colligo, quod Brasauolo quoque uerum dictamnum incogni-

tum fuerit præsertim cum absurdissimum id scribit, folia habere similia elleboro, tu hæc apud Musam uide. Quòd si dixerit facillimum esse habere è Creta ueram dictamnum, nó ideo sequitur nos illam habere, aut sibi cognitam esse. Neq; si ego dixi uera dictamno nos carere, ideò credidi impossibile esse ipsam habere. Valetudinem cura meq; qui te amo uicissim ama. Assij. ix. Cal. Quintileis.

1553.

THADDAEI DVNI LOCARNENSIS MEDICI, DE Hemitritæo, siue de febre semitertiana libellus.

PROOEMIVM.



QVONIAM nó raró dũ ægros uisitam⁹ febriũ quędã accessiones uariæ uarijq́ quidã circuitus sese nobis offerũt, quorũ perfecta cognitio adeò difficilis interdũ apparet, ut sæpe ambigere cótingat, duę ne sint febres, an plures, an unica quidẽ, sed q̃ aliâs non sit uisa, cũ semitertiana sit, quæ non ita facilè ab omnibus cognoscit̃: operæpretium facturum me existimaui, si eã suis coloribus depingerem, medicósque ne deciperentur, admonerẽ. Galenus obscurè sanè de ea scripsit, uerùm nos uarijs illius productis locis, rem planam faciemus. Igitur quę eius sit natura tota, quotuplex sit, quales habeat accessiones quotq́ modis eã

fieri contingat, quo pacto curãda, ac quid de ea in uniuersum sperandum, breuibus perstringemus.

CAPVT I.

SEmitertiana febris quæ Græcis dicitur ἡμιτριταῖος, commistio quædam est duarum febrium tertianæ uidelicet, & quotidianæ. Verùm duę hę febres pluribus commiscẽtur modis, una tamẽ duntaxat commistio hemitritæum facit. Sciendum ergo primũ est, quòd tertiana febris & quotidiana quatuor commiscentur modis, ut pulchrè declarat Galenus libro secũdo de differentijs febrium, & item libro secundo de Crisibus. Nam aut miscetur quotidiana continua tertianæ interpolatæ, aut tertiana continua quotidianæ intermittenti, aut ambæ continuæ sunt, aut intermittentes. Sola autem prima commistio semitertianam efficit. Hæc uerò duobus modis fit, per cõplicationem scilicet, & per confusionem. Est autem cõplicatio (græcè

Cap. 7.
Cap. 9.
Complicatio.

(græcè ἐπιπλοκὴ) quando una febris post alteram inuadit. Confusio uerò (græcè κρᾶσις) quando simul ab initio inuadunt, hæc enarrat Galenus secundo de differentijs febrium. Si solum complicentur, & semel concurrant, fit quidem semitertiana, non tamen propria: at si ab initio confundantur, semitertiana propria generatur. Ergo semitertiana duplex est, altera propria, altera impropria: iccirco Galenus loco iam citato scribit: Ac quæ quidem ambabus in unum tempus coeuntibus fit, unam solam habet accessionem naturæ ipsius semitertianæ: altera uerò omnes ab initio morbi usq; in finẽ, quæ maximè propriè semitertiana ab omnibus nominatur. Et in secundo de Crisibus: Sed hæc quidem, inquit, mixta est ex biliosa & pituitosa febre, de quibus antea sermo habebatur, non iam inuicẽ complicatis, sed per se totas cõfusis. Rursus in semitertiana febre, uel uin-

Confusio. Cap. 8. Semitertiana propria & impropria. Cap. 9.

cit humor biliosus, & ita symptomata tertianæ erunt euidentiora, uel prę pollet pituitosus, & tum febris quotidianæ symptomata clariora apparebũt, uel æqualiter temperãtur, & hoc pacto exquisita semitertiana generatur, cuius accessionem describit Galenus in secũdo de differentijs febriũ libro, his uerbis: Cum enim æquales magnitudine sunt intermittens tertiana, & quotidiana cõtinua, initiũ accessionis cũ horrore existit, id enim medium rigoris & perfrigerationis est, è quibus alterũ tertianæ, alterũ quotitidianæ cõtinuę inest. & in calce capitis inquit, Atq; huiusmodi quidẽ exquisita semitertiana est, ex æquali tẽperamento duarum febrium, & duorum humorum effecta. ea uerò quæ minimè exquisita est, uel humorem biliosum, uel pituitosum obtinet ampliorem. Vt igitur propria & exquisita semitertiana febris constituatur, tria omnino requiruntur: primum,

Semitertiana exquisita.

Cap. 9.

ut

ut misceantur inuicem tertiana intermittens & quotidiana continua, nam sola hæc commistio efficit semitertianam. Secundum, ut ab initio febres confundantur, hoc est, simul inuadant. Tertium, ut neuter humorũ alterum excedat, sed ęqualiter temperentur. Hæc quidem ipsissima est Galeni de semitertiana sententia.

CAPVT II.

QVoniam uerò eius uerba in secundo de differentijs febrium Cap. 7. libro, paulò obscuriora sunt, accõmodato exẽplo rem illustrabimus. Galeni uerba sunt hęc: Sed duplex modus eius generationis est, aut enim in unũ tẽpus duę accessiones cõcurrunt, ut paulò ante dixi, quia altera pręuenit, altera cunctatur: aut ambæ statim ab initio inuicem temperantur. Pinge itaq; tibi rectã lineam, quantamcũq; uolueris, quã deinde diuide in quinque ęquales partes & terminos lineæ

totius ſigna notis A & B & in fine pri mæ partis quæ incipit ab A pone C. in fine ſequentis D. tertię autem E, & quartæ F. Poſthæc primam partem A C, uidelicet, in uigintiquatuor æquales partes ſeca, ita ſecundam, tertiam, quartam, & quintam. Iam totius lineæ partes quinq; æquales, dies quinque naturales repræſentabunt. Particulæ uerò aliæ in 24. diuiſæ horarum loco erunt: dies enim naturalis horas æquales uigintiquatuor continet. Duplices nanq; aſsignant Aſtronomi dies, naturalem uidelicet, & artificialem: ſicuti etiam duplices horas, æquales, & inæquales. Dies naturalis uocatur, totum tempus quo ſol mouetur moto diurno ab uno pũcto circuli, donec ad idem punctum reuertatur. quod tempus ſemper conſtat uiginti quatuor horis æqualib⁹. Artificialis uerò eſt ſolummodo tẽpus quo ſol fertur ſupra noſtrũ hemiſphærium, hoc eſt tempus ab ortu ſolis

Dies naturalis.

Dies artificialis.

lis, usque ad ipsius occasum. quod quidem temporis spaciũ nũc quidẽ prolixũ est, ut in æstate: nũc aũt breue, ut in hyeme: nocti autem æquale in æquinoctijs. huiusmodi dies siue longus sit, siue breuis, diuisus in duodecim partes æquales, facit duodecim horas inæquales. idem intelligas de nocte artificiali. Eo igitur modo linea tota diuisa, inuadat tertiana febris intermittens in principio primi diei, hoc est, in puncto A, perduretque totus eius circuitus usque ad horam secundam finitam diei D E. & in eo pũcto imprimatur G. erit tempus horarum quinquaginta ab A. Volo enim ut tardet in secunda accessione per spacium duarum horarum. deberet alioqui durare duos integros dies naturales tantùm, siue horas quadraginta octo. Interim inuadat & quotidiana continua in principio horæ nonæ primi diei, quod notetur H. & secundo inuadat in puncto I, anticipans

per horã unã, hoc eſt, in principio octauæ horę diei D E, duretq́ uſq; ad K. Accedat aũt tertiana in puncto G, & extendat̃ uſq; ad L, quod eſt initiũ horæ quintæ diei F B. tardando ſicut dixi per ſpacium duarũ horarum. Niſi enim tardaret, accederet in puncto D. Tertia autem die inuadat quotidiana in K, perueniatq́ uſq; ad M. & quarta die ab M, anticipando ſcilicet ſuo more, extendatur ad L. Demùm quintam acceſsionem faciens in L. (niſi autem anticiparet, poſt L, ad horam unã accederet) tertianæ miſcebitur, quare fiet acceſsio una naturę ſemitertianę, nam erit acceſsio confuſa. Tertiana nanq; quæ perdurare debebat uſq; ad initium tertię horę quintę lucis, ſi cũctetur per duas horas, ut prius, tertia ipſius acceſsio continget hora quarta iam tranſacta, ſiue quinta incipiente, quo tempore quotidiana quoque accedit. Quare confuſio erit tertianæ & quotidianæ acceſsionis. quæ quidem

dem accesſio confuſa, accesſio eſt naturæ ſemitertianę. Tota tamē hæc cōplicatio, ſemitertiana impropria eſt. Hæc licet uideantur aliquibus parui momenti, plurimum tamen conferūt ad artis opera, imò neceſſaria cognitu ſunt, ſi nobis ægrorum ſalus curæ eſt. Galeni uerba nunc erunt manifeſtisſima. nam cum ait: Sed duplex modus eius generationis eſt, aut enim in unum tempus duæ accesſiones concurrunt, ut paulò ante dixi, quia altera præuenit, altera cunctatur: hic primus modus is eſt quem demonſtrauimus: quando uidelicet duæ accesſiones concurrunt, quum prius diuerſis horis inuaderent, id quod contigit in noſtro exemplo, ab initio horæ quintæ, quintæ lucis. Nam ea hora & tertiana & quotidiana accesſionem habebat. Itaque primus hic modus iam declaratus eſt.

CAPVT III.

ALTER modus generationis semitertianæ, ait Galenus, est quã do statim ab initio inuicem temperã tur duæ hæ febres, quemadmodũ ipse apposito exemplo declarat libro
Cap. 9. secundo de Crisibus scribens: Inuadat igitur febris aliqua horrida simul atque omnino inęqualis in pulsibus, atq; in eo qui per totum corpus sentitur calore, ut sæpe propè statum existimetur, uel medium augmenti obtinere: rursus uerò horrida fiat, & pulsus minores, & debiliores, ac tardiores & rariores habeat, & calorẽ quidem ab extremis partibus recedentem, circa uerò uentrem atq; thoracem redundantem, hanc non absq; ratione quispiã ἡμιτριταῖον, id est, semitertianam fore speret, uel potius iam esse. Talis siquidem accesio omnino confusa est, partim tertianam, partim quotidianam referens, quod quidem solus horror abundè demon-
Cap. 9. strat. Nam in secundo de differentijs fe-

febrium, Galenus ſcribit, (ut ſuprà quoq; annotauimus.) Cũ.n.æquales magnitudine ſunt intermittens tertiana & quotidiana continua, initiũ acceſsionis cũ horrore exiſtit, id.n.medium rigoris & perfrigerationis eſt, è quibus alterum tertianæ, alterũ quotidianæ continuæ ineſt. Quæ deinceps ſubdit Galenus ei diuiſioni quã expoſuimus, facilè intelligi poſſunt, ex prædictis. Sed tamẽ placet ea quoque uerba tranſcribere, & oratione noſtra illuſtrare. Ac quæ quidem, inquit, ambabus in unum tempus coeuntibus fit, unam ſolam habet acceſſionem naturæ ipſius ſemitertianæ, altera uerò omnes ab initio morbi uſq; in finem. Manifeſtum fuit ſuprà in exemplo noſtro eam ſolam acceſsionem, quæ accidit hora quinta quinti diei, cõfuſam fuiſſe, & ideo de natura ipſius ſemitertianæ. Neq; altera ſimilis acceſsio erat expectanda, quoniam rurſus ſeparabantur, ac proinde

accefsiones fecifſent horis diuerſis nō eadem. Quarta enim acceſsio tertianæ futura erat hora ſeptima ſeptimi diei, & quotidianæ inuaſio ſeptima, hora tertia eiuſdem diei ſeptimi. Propria autem ſemitertiana omnes ab initio ad finem acceſsiones habet confuſas.

CAPVT IIII.

CAEterum uidendum eſt quo pacto intelligendum ſit quod dicitur, ſemitertianam ſcilicet propriam habere omnes acceſsiones confuſas. Dubitabit enim fortaſſe quiſpiã, quî fieri poſsit ut ſemitertiana habeat acceſsiones omnes confuſas, cum componatur ex quotidiana, quæ ſingulis diebus inuadit, & tertiana, quæ tertio quoq; die tantùm. Niſi enim tertiana ſimul cum quotidiana inuadat, acceſsio naturæ ſemitertianæ non fit. quare altera dies ſolam habet quotidianæ febris inuaſionem: atque ideo ſemi-

ſemitertianæ acceſsiones nõ ſunt om nes confuſæ. Quod itaq; Galenus dicit, Alteram, hoc eſt, propriam ſemitertianam, habere omnes acceſsiones ab initio ægritudinis uſq; ad finem, naturæ ſuæ, intelligendum hoc pacto eſt, quòd habeat omnes acceſsiones naturæ ſemitertianæ, quæ uidelicet tertio quoque die fiunt, concurrentibus ambabus febribus. Nam ſi intelligeres acceſsiones omnes quotquot ſunt ab initio morbi uſque in finem, id nequaquam uerum eſſet, ut ex ſupradictis conſtat. Si ergo in prima die acceſsio fiat naturæ hemitritææ, acceſsio quæ eueniet in tertia, eiuſdem naturæ erit, & ita quæ in quinta, & ſeptima, reliquisq; omnib⁹ imparibus diebus, uſque ad finem morbi. Si uerò in prima die acceſsio ſolius quotidianæ fiat, (nam & hoc modo propria ſemitertiana fieri poteſt, ut infrà declarabitur) & in ſecunda acceſſio confuſa, quotquot in paribus die-

bus contingent accesſiones, ſimiles eius erunt, quæ in ſecunda die accidit. Alternis ſiquidem diebus acceſſiones fiunt ſui ſimiles propter tertianam. Nam altero die ambæ concurrunt exacerbationes, altero autem ſola quotidiana inuadit. Quæ diximus Galenus ipſe tradit, libro ſecundo de differentijs febrium, ad hunc modũ: Sed in quibuſcunq; magnam acceſſionis partem horrores abſumunt, altera dierum ſcilicet, in qua & tertiana, & quotidiana continua ſimul inuadunt: nam altera dies ſolam habet quotidianã. Hic enim Gale. exponit locũ Hipp. qui habetur libro primo Epidemiorũ de ſemitertiana: & ideò manifeſtè aſſerit, eum horrorem contingere in altera die, ea nẽpe, in qua duę acceſsiones concurrunt, hoc eſt, ſimul inuadunt. Nam altera, inquit, dies ſolam habet quotidianam acceſſionem. Sed clarius hæc habentur in libro de temporibus morbi particularibus,

Cap. 8.

laribus,

laribus, ait enim: Porrò hæc accesſio ad uigorem longo tempore aſcendit nec exiguo pariter inclinat. atque ob hoc ipſum tertio die eadem quæ primo acceſsio inuadit, poſtea rurſus quarto ſimilis ei quæ ſecundo habita eſt, idq; ordine perpetuo. Hãc ego febrem compendioſæ claræq; doctrinæ gratia uno uolens appellare uocabulo, impoſui ei nomẽ ſemitertianæ. Ex his igitur Galeni uerbis conſtat ſemitertianam duplices habere acceſsiones, aliam cum ſimul inuadunt tertiana & quotidiana, aliam, cum ſola quotidiana. Et hæ quidem acceſsiones alternatim ueniunt, nam ſi primo die fiat acceſsio confuſa, ſecũdo fiet acceſsio quotidianæ ſolùm: deinde in omnibus imparibus diebus acceſsiones erunt confuſę, in paribus uerò minimè. Contrà ſi primo die fiat acceſsio quotidianæ, & ſecunda acceſsio confuſa, in omnibus paribus diebus acceſsiones cõfundentur, in im-

paribus uerò minimè.

CAPVT V

EX his abundè manifestũ est, quomodo sit accipienda uox illa, omnes: simul etiam patet, semitertianam propriam bifariam fieri posse, tum si prima dies accessionem habeat confusam, talemq; in omnibus imparib⁹ diebus: tum si quotidianam accessionem solùm in dicta prima die fieri cõtingat, in omnibus uerò paribus diebus cõfusam. ut plurimum aũt prima die accessiones confunduntur. Hæc
Cap. 8. est Galeni sententia libro secundo de differentijs febriũ, ubi scribit: Magna uerò ex parte dierum prima mixtam ex utrisq; committit febrem, secunda uerò ex pituita continuam. Contingit autem nonnunquam hanc prima inuadere die, secunda uerò ambas simul.

CAPVT VI.

QVantum uerò ad eius curationem attinet, manifestum quidem

dem eſt curandam eſſe partim ijs remedijs quæ tertianæ conueniunt, partim ijs quæ quotidianæ. Quòd ſi alterutra illarum febrium ualidior fuerit, ualidiori inprimis reſiſtendum erit, non neglecta altera.

Nihil aũt boni in uniuerſum ſperã dum eſt de ſemitertianã, ut plurimum enim moriuntur qui tali febre laborant. Vnde Hippocrates libro primo Epidemiorũ, ſemitertianã letalẽ pronũtiauit. Pręterea lib. 4. Aphoriſ. ſcriptũ eſt: Quæcunq; febres nõ intermit tẽtes, tertio die ualidiores fiunt, periculoſę ſunt. Quoquo aũt modo inter miſerint, periculũ abeſſe ſignificat. Se mitertiana .n. febris eſt non intermit tens, & tertiò die ualidior. Cæterũ mi rari ſatis nequeo, ꝙ D. Fuchſius primam huius Aphoriſmi partem de ſola ſemitertiana eſſe intelligendam ſcri bat in commẽtarijs ſuis. Multis enim rationibus demonſtrari poteſt, à ueri tate longè alienum eſſe quod ſcribit

Conſt. 3.

Aphor. 43.

Fuchſij error multiplex.

Et inprimis ipsa aphorismi lectio, siue priora ipsius uerba id clarissimè ostendunt. Quum enim, Quæcunque febres non intermittentes, dicat, quomodo ad solā semitertianā detorqueri hoc poterit? quomodo quod de pluribus dicitur, uni accommodabitur? Loquitur enim Hippocrates nō de sola semitertiana, sed de omnibus febribus quæ intermittentes non sunt, & tertio quoq; die ualidiores fiunt. Sunt autem & tertianę continuæ huius generis, quas etiam periculosas esse & lethales, satis constat. Quod autem dicit Fuchsius, de semitertiana intelligendam esse primam Aphorismi partem, quia semitertianæ continuæ sunt, & non intermittētes, ac tertio die ualidiores: Nónne & tertianæ continuæ tertio die ualidiores sunt? Quorsum autem dixisset Hippocrates, Quæcunq; febres non intermittentes, si de sola semitertiana intellexisset? Sanè dicendum ei erat, semi-

ſemitertianam periculoſam eſſe, ſi de ſola ea loqui uolebat. Mihi uerò uidetur quòd pulchram huius Aphoriſmi expoſitionem tradat Galenus, commentario tertio in primum librũ Hippocratis de morbis uulgaribus, ſcribens: Nam febrium quæ tertio quoq; die inuadunt, hæ ad integritatem ueniunt, illæ ſecus. Rurſus utrarumq; harum ea eſt differentia. Ex uenientibus ad integritatem, quædã acceſsionem habent horis duodecim circumſcriptam, quædam longius productã. Com. 5.

Earum uerò quæ ad integritatem non ueniunt, quædam cũ horrore uenietes, cum à primo impetu, ad incrementũ quod uocant, ſe conferũt, tametſi eſſe iam mediocriter progreſſæ uideantur, alterum horrorẽ cum cóſtrictione inducũt, ab hoc alterum incrementum, deinde aliã conſtrictionem & horrorẽ. Nã iterũ hę, & ter repetũt. Poſtridie aliã habent priore minorẽ acceſsionem, ſine priorũ repetitione,

isq́ illi est perpetuus deinceps orbis, ut binæ quas dixi binis fiant dieb⁹ accessiones. Prçterea aliæ habent tertio quoq; die accessionem, citra horrificas illas quas diximus inuasiones, & repetitiones, unamq́ habēt accessionem tertio quoq; die, atq; accessione carent secundo die. Vnum hæ & continuum habent & æquabile ab inuasione ad uigorem incrementū. Habes iam febriū, quæ tertio quoq; die inuadunt differentiam semper conspicuā in ægris: Hactenus Galenus. Quib⁹ in uerbis duo febriū nō intermittentiū, ac tertio quoq; die inualescentiū genera ponit, semitertianam, & tertianā continuā. De his igitur loquitur Hippocrates in priori Aphorismi parte. Porrò quod dicit nullum interpretū, Galeno excepto, rectè explicuisse, q̄d per febres continuas tertio quoq; die inualescētes, Hippocrates intelligat: Respōdeo, interpretes alios tale de semitertiana cōmentum nequaquā somniasse-

Duo febrium non intermittentium, & tertio quoq; die inualescentium genera.

mniasse-

mniasse, in quorũ numerum Galenũ quoq; refero. Quare non est quod se Galeni clypeo, & autoritate defendat, quum merum sit inuẽtum suum. Inueniat enim mihi, ubi unquam Galenus primam illam Aphorismi partẽ de sola semitertiana interpretatus sit, quod si fecisset, & ipse erroris accusand⁹ esset. Infrà pręterea scribit Fuchsius: Nunc itaq; omnib⁹ perspicuum esse puto, semitertianã esse febrem nõ intermittentẽ, & de ea in prima huius Aphorismi parte loqui Hippocratẽ. Quod euidẽtissimum etiam fit, ex eo quod ait, hanc esse periculosam & letalem. Hoc .n. nõ nisi de semitertiana posse intelligi, disertè mõstrat Gal. in cõmentario iã citato, in eũ scribẽs modũ: Letalẽ igitr esse semitertianã apertè ipse Hippocrates dixit. Febrium uerò ad integritatem redeuntiũ nullam esse letalẽ disertè in Aphorismis demõstrauit, inquiens: Quæcunque febres, &c. hæc Fuchsius, quæ q̃ uera sint, ac

Fuchsius Galenum sibi fauere falsò credidit.

quàm aptè Fuchſius ipſe Galeni argumento utatur, breuiter uidendum erit. Primùm enim, quomodo ſemitertiana ſola periculoſa, & letalis erit, cũ quotidiana exempla demonſtrent, febres ex bile continuas, & ex inflammationibus ortas, omnium maximè letales eſſe, ſiquidem è medio quam plurimos tollunt? Non eſt igitur credendum quod tertianę continuæ excluſæ ſint ab Hippocrate in Aphoriſmo: neq; ſi in Epidemijs ſcribit ſemitertianã eſſe letalem, propterea ſequitur eam ſolam letalem eſſe: Galenus enim neq; in Epidemijs, neq; in Aphoriſmis, talia auſus eſt dicere, neq; ullus alius interpres. Poſtremo animaduertendum eſt, Galenum uerba hæc (letalem igitur eſſe ſemitertianam apertè ipſe Hippocrates dixit. Febrium uerò ad integritatem redeuntium nullã eſſe letalem diſertè in Aphoriſmis demonſtrauit, & quæ ſequũtur) ideo adduxiſſe ut oſtenderet ſemitertianam

Tertio in primum Epid. Com. 5.


con-

continuam esse, nō intermittentem: non autem ut ostenderet eam solam periculosam esse. Nam cum Hippocrates in Aphorismis dixerit nullam intermittentiū esse periculosam, hoc uerò loci semitertianam esse letalem scribat, sequitur semitertianam non esse intermittentem. hoc nanq; est ipsissimum Galeni argumentum, quod Fuchsius nō animaduertit, & ideo errauit. Quòd aūt ad probandū quod diximus Galenus ea adduxerit, semitertianam scilicet continuam esse, nō intermittētem, uerba ipsius quæ mox subsequūtur euidentissimè demonstrant, inquit enim: Quî itaq; in ueniētibus ad integritatem semitertianam esse Hippocratem sequens dices? & quæ sequuntur. quæ propter Agathinum fortasse dixit. Possem non paucas alias rationes proferre, uerùm his contentos fore spero lectores candidos, qui citra affectum legunt & iudicant. Quod deinde subdit Fuchsius,


Erroris Fuchsij causa.

inquiens: Satis autem constat ꝙ præsentem Aphorismũ, quem hoc loco citat, de semitertiana loqui statuat Galenus, &c. alienissimum à mente Galeni est. Nam Galenus Aphorismum citauit propter posteriorem eius partẽ qua utitur, non propter priorem, proptereaꝗ; non statuit eum de semitertiana loqui. Sed de his hactenus.


Hæc de semitertiana febre paulò uigilantius propterea scripsi, ꝙ non pauci sint medici, qui prorsus ignorent qualis febris sit hemitritæus, neq; eam à reliquis distinguere sciant. Si quis autem diligenter breuem hunc libellum perlegerit, totum de semitertiana negotium assequetur.



M 4


PERTINET AD SECVNDVM CAPVT DE SEMITERTIANA.
Prima accesio quotidianæ.
Secunda accesio quotidianæ.
Tertia accesio quotidianæ.
Quarta accesio quotidianæ.
H
I
K
M
L
DIES
PRIMVS
SECVNDVS
TERTIVS
QVARTVS
QVINTVS
A
B
C
D
G
E
F
Primus tertianæ circuitus.
Secundus tertianæ circuitus.

M 4



Semitertiana febris est commiſtio quotidianæ cõtinuæ & tertianæ interpollatæ: eſt autem duplex

- Propria quãdo ab initio ſe febres cõfundũtur, & ſimul inuadũt, quæ etiam duplex eſt.
  - Exquiſita, quando febres ęqualiter temperantur.
  - Non exquiſita, cum uel pituitoſus, uel bilioſus humor præpollet
- Impropria, quando febres non inuadunt ſimul ab initio, ſed una poſt alteram.

ERRATA.

Pag.10. ver.22. lege lib. 3. 12. ver. 12. τα-πεινῶσαι.19.19.bilioſi.34.1.mea, & ver.13. eiuſdem pag.repudietur, & ſequenti ver.fauet.45.13.pleuriticis.60.1.eſſet.90.2. Galeni mentem. 116. 18. μόνῳ. 150.10. deberent.159. 10.offerunt.

RERVM ET VERBO-
rum in hoc libro memorabilium Index.

A

Acetum conuenit picrocholis pag.50
Acetum mel corrigit 11. & 12
Acetū quod in mulsa biliosum est castigat 12
Aëtiū temere à Galeno dissentire 28
Aëtius omnem morbum lateralem à bile fieri docet 83
Agarici facultates 129.130
Agaricum pituitam & bilem ducit 130.154
Agaricū ĩ articularijs morbis utilißimū 129
Agaricum tardè & imbeciliter purgat 130
Alexander Trallianus oxymeli non exhibebat, nisi materia admodum crassa esset 42
Alciati laus 70
Alciatus iurisconsultus in ea ægritudine qua deinde obijt, medicis vsus est imperitis: & ratio à Card. aßignata 70. & 71
Aloisius mundella 157
Ἀρθρῖτις est affectus omnium articulorum 124.126

Ἀρθρῖτις unde dicatur 134.147
Ἀρθρῖτις, propriè, morbus articularis est 111
Articulorum morbi duplices ibidem
Articulorũ morbi denominãtur ab ipsis articulis ibidem
Articulorum particulares affectiones neque à Græcis ἀρθρῖτις dicuntur, neq; à Latinis articularis morbus 124
Arthritide laborãtes quomodo curandi 128
Arthritici propriè qui 148
Arthritici utplurimum propter crapulam fiunt ibidem

B

Brasauolus 78
Brasauoli error de forma foliorũ dictamni 157.158

C

Cardani rationes, quare oxymeli biliosis pleuriticis conueniat 83.84.85
Cardani opinio, quòd omnis pleuritis à biliosis humoribus fiat, exploditur 103
Cardanus Galenum accusat 81
Cardanus Manardo infensus 93

Cardanus Dunum hortatur, ut ad legendum se conferat 87
Cardani opinio, quòd in principio pleuritidis oxymeli non conueniat, confutatur 101
Cardanus fatetur priores suas æditiones erroribus scatere 75 (43
Causa duplex cur tußiẽdo pauca quis expuat
Causa morbi primum amouenda est, deinde morbus ipse curandus 128
Cigalini Nouocomensis medici laus 8.9.15 30. & 95.
Cigalinus Græcè & Latinè doctus 95
Cigalini defensio 103
Cigalini de exhibendo oxymelite in pleuritide sententia 17.18
Cigalini sententia de exhibendo oxymelite in febribus 36. 37. cuius sententiæ est Dunus 11
Cigalinus quam ob causam dubitauerit exhibere oxymel biliosis pleuriticis, & eius cõfutatio 55
Cigalinus se excusat, quòd dixerit Paulũ fortè non existimasse pleuritidem fieri à pituita 50.

Complicatio in semitertiana 161
Confusio ibidem
Cornarius 78 (lat 125
Coxendicis dolor ualida medicamenta postu
Curandi methodus à Galeno tradita, exẽplo
caui & sordidi vlceris cũ phlegmone 149
Curari ante oĩa debet id sine quo nõ 149.150
Curtius 78

D

Diacodion, & eius vsus 106.107. & vltra
Diacodion incrassat ibidem
Diacodiõ exhibetur ab AEgineta in pleuritide ad conciliandum somnum 109.110
Diacodion in pleuritide magno cũ iudicio dãdum, & non nisi necessitate cogente 109
Dies artificialis 164
Dies naturalis ibidem
Dictamnum uerum habetur 144.155
Dictamnũ nõ nisi in Creta nascitur, Plin. 157
Dictamnũ uerũ Cretense primus omniũ Paulus Turrianus Nouocomum attulit 144

E

Empiricos semper fuisse 67

Empiricorũ contentiones omittendæ 86.87
Empirici quare doctis medicis ſemper aduerſentur 68.69
Ἐπιπλοκὴ, quid ſit in ſemitertiana 161
Eraſiſtratus crudum humorem pus appellabat 85
Eroſio inteſtinorum non eſt ſymptoma pleuriticorum 99
F
Febrium non intermittentium, et tertio quoque die inualeſcentiũ duo genera 177.178
Fuchsij laus 76.89.90
De Fuchsij erroribus libri à Thaddæo Duno conſcripti. 90. ſed nondum ſunt æditi.
Fuchsij error multiplex de ſemitertiana 175 176. vſque in finem.
Fuchsij erroris cauſa 181
Fuchſius Galenũ ſibi fauere falsò credit 179
Fuchſius multos habet hoſtes 77
Fuchſius quæ ad ſanguinis miſsionem pertinent multis in locis tradidit 89
Fuchſius ex Manardo multa ſumpſit 91
G

Galenus Auicennæ & Aëtio, multis numeris præferendus 103
Galeni interpretis lapsus 41
Galenus pluribus morbis laborauit 71
Germanica ingenia ferociora 76
Glycyrrhizæ sirupus debet præmitti sirupo de hyssopo, & de praßio, nisi neceßitas ordinem inuertat 21
Græci in pleuritide non exhibent incrassantia 45.107
H
Hemitritæus, vide semitertiana
Hippocratis laus 9
Horæ æquales 164
Horæ inæquales 165
Humaniores esse, qui sunt eruditiores 69
Humorum fluxus quomodo curandus 150
Humores tenues facilius per pharmacum educuntur, quàm craßi 154
Humorum in articulis peccantium differentiæ tribus notis discernuntur 117
I
Incrassantia Græci nõ dant in pleuritide 45 & 107
In-

Incrassantibus medicamentis quando utendum 57.107.108. & vltra.
Indicatio sumpta ab eo quod magis vrget quando obseruanda sit 151.152
Ischias est de genere arthritidis 116. 126. sed non debet dici arthritis, ibidem
Ischiadicis repellentia medicamenta nō sunt admouenda 126

K

Κρᾶσις quid sit in semitertiana 161

M

Manardi laus 91.92.93
Manardi epistolæ laudantur à Fuchsio 92
Manardus defenditur à calumnijs Cardani 92.93
Medicamenta ad conciliandum somnum extrinsecus admota, sunt tutiora in pleuritide 109
Medicamenta menses mouentia quæ inter cætera commendentur à Galeno 114
Mel febrientibus datum bilescit 11
Mel in oxymelite adstrictionem aceti corrigit, quia laxat 13

Mel rosaceum humores biliosos tantùm purgat 130
Mesues laus 93
Montuus 78
Morbi κατὰ συμπάθειαν quomodo curandi 139.151
Mulieres quare podagra laborent 113
Mulieres articularijs morbis utplurimũ propter suppressos menses corripiuntur 113.118
Mulsa calefacit 83
Mulsa pituitosis competit 62.63
Mulsa supercalfacta bilescit 12
Mulsa parum quid alimenti præbet 10
Mulsa vi medicinali non caret 48

O

Oxymeli quomodo componendum 99
Oxymeli multis facultatibus præditũ est 58
Oxymeli sitim sedat 14
Oxymeli non nutrit 102
Oxymeli medicamentũ est saluberrimũ 14
Oxymeli lenit pectus 82
Oxymeli non bilescit propter acetũ 11. & 12
Oxymeli valde acre exiccat 40.41

Oxy-

Oxymeli à Galeno biliosis pleuriticis dari demonstratur 62.63
Oxymeli exhibetur à Mesue in biliosa pleuritide 19
Oxymeli quæ symptomata pleuriticorum curet 25
Oxymeli à Galeno datur pleuriticis, sine mētione causæ pleuritidis 25
Oxymeli tanto acutius esse debet, quāto cōtumacior fuerit materia morbum efficiens 27.39.46.
Oxymeli refrigerat 53.61
Oxymeli quare à Duno exhibeatur biliosis pleuriticis 53
Oxymeli à Cigalino in biliosa pleuritide exhibetur consideratis symptomatibus 47. & considerata obstructione febris, & ad refrigerandum 36.37
Oxymeli & fomenta sicca quare à Paulo et Aëtio omissa sint, secundum Cigalinum 18. 51
Oxymeli acutè febrientibus, & præcipuè pleuriticis dandum 9. & ad longum.

Oxymeli ſputum educit, & facilem reddit ſpirationem Hipp. 10
Oxymeli non accendit febres. 12. ſtrenuè deterget, & ab obſtructione liberat ibidem
Oxymeli fugiunt imperiti medici, putantes ipſum adſtringere 13. non adſtringit, ibidem. laxat. 14.
Oxymelitis exhibitio ab Auicenna 19
Oxymelitis ſecũdũ acrimoniã mediocris magnus eſt vſus in affectionibus pulmonis et thoracis 11
Opinio de humorum incraſſatione Græcæ doctrinæ aduerſatur, inepta eſt, & pernicioſa 56

P

Paſtilli de violis paſsionibus pectoris conferunt 155. eorum vſus 130
Paulus AEgineta, ſimia Galeni 28
Paulus AEgineta & Aëtius in curatione pleuritidis de oxymelite nõ meminerunt 16
Pauli Turriani laus 123
Paulus Turrianus perperam locum Meſues exponit 143. 154
Pau-

Paulus Turrianus contra omnium medicorũ ſententiam exiſtimauit articularem morbum dicendum, ſi duo tantùm articuli laborent 147
Paulus Turrianus concedit, arthritidẽ propriè dici, quum omnes articuli afficiuntur 133
Pauli Turriani opinio de purgatione ante menſium prouocationem reijcitur 149. 150 & vltra.
Pharnelij laus 79
Pleuritico nihil ſalubrius quàm oxymel 14 55. 56.
Pleuritis ab omnibus humoribus fieri poteſt 96. 103
Pleuritis à pituita raró fit 50. 51. 62. 103.
Pleuritis ab humore bilioſo frequentior eſt 27
Pleuritidis cauſæ ſigna ex ſputo 29.
Pleuriticorum ſputum quale eſſe debeat 105
Pleuriticorum ſputa non omnino craſſa, nec glutinoſa, ſunt bilioſa 62. 63.
Podagræ mulierum cauſæ tres à Galeno aſſi

gnatæ præter suppreßionem mensium 113
Γόρ⊕ quid 121
Propositio indefinita de oxymelite quomodo vim habeat vniuersalis, consideratio 60 61.

R

Ruellij dictamnum 156.157

S

Semitertiana febris, ex quotidiana continua & tertiana interpollata fit 169
Semitertianæ febris cognitio difficilis 159
Semitertiana duplex, propria, & inpropria ibidem
Semitertiana est febris continua 181
Semitertianæ propriæ acceßio qualis 168
Semitertianam propriam habere omnes acceßiones confusas, quomodo intelligendum sit 171
Semitertiana propria bifariam fieri potest 174
Semitertiana duplices habet acceßiones 173
Semitertiana exquisita 162
Semitertiana propria & exquisita tria requirit

quirit 162.163
Semitertianæ exquisitæ acceßio 162
Semitertianæ impropriæ exemplum clarißimum 163. & vltra
Semitertianæ cura 175
Semitertiana est periculosa ibidem
Syluij laus 79

T

Tertianæ febres, continuæ, malæ 180
Tertiana & quotidiana febris, quatuor cõmiscentur modis 160
Thaddæus Dunus, Fuchsijsta vocatus à Cardano 89
Thaddæus Dunus quare contra Fuchsium scripserit 90
Thaddæus Dunus Hippocratis & Galeni placitis addictus 33
Thaddæus Dunus multos pleuriticos curauit 109
Thomæ Zoij temeritas & impudentia 8.15
Thomas Zoius Sauonarolam barbarũ Hippocrati & Galeno prætulit 15
Thomas Zoius empiricus quare dictus 14

Tophus quid 121
Turbith pituitam ducit à profundis partibus 142
Turbith ad dolores articularios laudatur ab Arabibus 143
Turbith & pastilli de violis non debent promiscuè dari, vnum pro altero 155

V

Venæ poplitis, vel malleoli sectio, menses mouet 114. 119
Vuesalij laus 79
Vinum in acutis morbis datum, minus offendit, quàm oua & carnes, iuxta Cardanum 65
Vomitio utilissima ex bile & pituita mixta 104

FINIS.


NDRE S:
ESSNER
G